



**De nostra in sacramentis cum Domino Iesu Christo  
coniunctione tractatus. : Adversus Sophismata quæ contra S.  
hoc mysterium proferuntur, præsertim in libro cuius hic fuit  
titulus, Redargutio inscitiarum & fraudum quibus nonnulli  
Theologi & philosophi Geneuenses, subsidiarij Antonij  
Sadeelis eum librum cauillati sunt quo precipuum mysterium  
doctrinæ Calvinistarum conuictum est.**

<https://hdl.handle.net/1874/416835>

DE NOSTRA  
IN  
SACRAMENTIS  
CVM DOMINO IESV  
CHRISTO CONIUN-  
ctione,

TRACTATVS.

*Aduersus Sophismata quae contra S. hoc mysterium  
proferuntur: praesertim in libro cuius hic fuit ti-  
tulus, Redargutio inseltiarum & fraudum quibus  
nonnulli Theologi & philosophi Geneuenses, sub-  
sidiarij Antoni Sadeelis eum librum cauillati sunt  
quo praecipuum mysterium doctrinae Caluinista-  
rum conuictum est.*

Auctore GASPARE LAURENTIO.



Excudebat Ioannes le Preux.

MDCLXXIII.

ILVSTRIBVS AC GENEROSIS  
Comitibus ac Domini Dominis  
Ludouico & Alberto fratribus Comitis  
in Habsburg & Rhenck, Dominis in  
Kerberg, Dominis in, Jurellis obsequan-  
tis, colendis

ILVSTRIBVS AC

Generosi. Co-

mites, lectissimi

in Episcopatus

quidam. et

se habere. et

interprimis

grande vultate. et

una vultate non

eris et: et in

gumentis legere, non

quod, sed in

stiant quicquid

thodoxam doctrinam

ribus obsequantibus

patres, verus hoc

tantis omnem errorem



**ILLVSTRIBVS AC GENEROSIS**

Comitibus ac Dominis. Dominis Philippo  
Ludouico & Alberto fratribus, Comitibus  
in Hanau & Rhineck, Dominis in Min-  
zenberg, Dominis suis, subiectâ obseruan-  
tiâ, colendis.

**ILLVSTRES** ac  
Generosi Co-  
mites, rectè di-  
xit Epiphanius, *In bar.*  
omnem erro-  
53.

rè habere cæ-  
citatē primū,  
deinde vanitate. Crassas enim igno-  
rantix tenebras non agnoscere, cæ-  
citatē est: easdem porrò futilibus ar-  
gumentis tegere, non vanum mo-  
dò, sed impium quoque. Id verò fa-  
ctitant quicunque Ecclesiarum or-  
thodoxam doctrinam hisce tempo-  
ribus oppugnant: plus satis compro-  
bantes, vetus hoc dictum, Ex igno-  
rantia omnem errorem esse, nequa-



## EPISTOLA.

quam in omnibus locum obtinere. Quamobrem nemo veræ Religio- nis studiosus negauerit, Tractatus Didacticos ad lumen Euangelij ex- citandum comparatos, atq; Elenchi- ticos ad falsæ doctrinæ sophismata refellenda piè institutos, perquam esse necessarios. In rebus sanctis san- ctè religiosèque tractandis, ingrata quidem est omnibus bonis sermo- num ἀντιθεσις & ἀδολοχία, scripta- que polemica meritò sunt odiosa, id etiam monente Nazianzeno: qui tamen addit, orthodoxorù Refuta- tiones, vt ægrotis pharmaca, fideli- bus omnino vtilis esse. Peruicacibus cōtentionibus homines fieri indoci- les, prudenter quoque dixit Augu- stinus: idem nihilominus præcipit, Respondendum interdum esse Ad- uersariis, ne vt clamore, sic & ratio- ne videantur vincere. Nec enim so- cordia & dissimulatione ferendum est, sacram doctrinam oppugnari,

Orat. I.  
de Theo-  
log.

## EPISTOLA.

errores augeri, lumen Euangelij,  
 summo Dei beneficio accensum,  
 tenebris exingui. VERITAS, in-  
 quit Tertullianus, NIHIL ERV-  
 BESCIT, NISI ABSCONDI. At  
 isti nihil magis reformidant quàm  
 si nostrorum Tractatus à Christia-  
 nis legatur: ex quibus tamen solent  
 quasdam particulas decerpere, inte-  
 grā sententiam omittere: vt aduer-  
 sus ea quæ lubet suas calumnias con-  
 uertant. Perfecerunt enim apud  
 multos, vt Doctorum nostrorum li-  
 bri non legantur. Hinc audacter fal-  
 sissima quæque comminiscuntur &  
 asseuerant, hac spe freti, quòd ipso-  
 rum fallaciæ non detegantur nec re-  
 darguantur apud eos quos irretitos  
 tenent.

Tractatus autem Nobilissimi ac  
 præstantissimi Theologi D. Sadee-  
 his piè defuncti, his temporibus Ec-  
 clesiæ Dei ad errores debellandos  
 perquàm vtilis, facilè quidem refel-

Adm.  
 Valent.

tunt ea quæ aduersus ipsos à non-  
nullis importunè proferuntur, de  
quo quidem viro verè id ac merito  
possumus affirmare quod de Basilio

*In ipsius  
Epistola  
phio.*

dicebat olim Nazianzenus; nempe,  
Ipsum vitam doctrinæ, & vitæ æqua-  
uuisse doctrinam. Is non temerè, vt  
multi, sed circumspectè, piè & accu-  
ratè, hoc est verè Theologicè, quod  
pauci, tractationes suas instituit.  
Ac teneo memoria, Illust. Comites,  
omni virtute præstantem heroem  
Illustr. Generositatis vestre parentè,  
summâ beneuolentiâ Clarissimum  
illum virum fuisse complexum,  
quum post illam anno 1572 lanie-  
nam in Gallia nefariè editam, Lau-  
sannæ substitisset, ibique cum ipso  
in familiarissimis ac piis colloquiis,  
tunc maximè necessariis, aliquot  
dies posuisset. Quum autem Gre-  
gorius à Valentia Refutationem li-  
bri quem D. Sadeel Indicem erro-  
rum Gregorij de Valentia inscripse-



rat, emisisset, ante aliquot annos, re-  
 sponſionem meam ei oppoſueram.  
 Nam ille pleraque omnia, quibus  
 iſti vtuntur ad falſum de Sacramen-  
 tis dogma ſtabiliendum argumenta  
 breuiter ibi recenſet: multis etiam  
 verborum inuolucris, interdum ex  
 Metaphyſicis uſque quàm remotiſ-  
 ſimè accerſitis, ea inuoluens. Hinc  
 coactus ſum, illa paulò fuſius refel-  
 lere: ita tamen vt hic noſter Tracta-  
 tus ad ædificandum, non ad oppu-  
 gnandum: ac magis ad ſacrum do-  
 gma aſſerendum, quàm ad Gregorij  
 librum refellendum, inſtitutus  
 comperiatur. Hic enim agimus de  
 noſtra in Sacramētis cum Domino  
 Ieſu Chriſto coniunctione: quam vt  
 explicemus, partes ad hanc quæſtio-  
 nem pertinētes, prout Gregorij ob-  
 iectiones ſe offerebant, articulati-  
 m tractamus: ac præcipuè indicamus  
 quænam ſit illius Coniunctionis &  
 Chriſti perceptionis ſiue Manduca-

tionis Causa formalis, quam prolixè  
 sibi demonstrari, non tantùm Gre-  
 gorius, sed alij complures, philoso-  
 phicè magis quàm theologicè, sæ-  
 piùs à nostris efflagitant: quorum  
 scripta qui legerit, minimè mirabi-  
 tur, nos Scholasticè pluribus hanc  
 quæstionem declarare: nec tamen  
 Ethnicorum philosophorum oleo  
 sermonem Christianū *maiores*, sed  
 potiùs olei verè philosophici lenitu-  
 dine, ac salis ipsius acrimoniâ (quo,  
 ex veteri proverbio, Sophismata re-  
 fellenda sunt) eiusmodi obiectiones  
 diluimus: Tertullianum audien-  
 tes, monentem, vel imminans ha-  
 bendam esse rationem veritatis, de  
 qua non vno modo differi potest,  
 modò non diuersa fide. Plurimum  
 quoque distat Sophistica à genuina  
 ratione philosophica falsas argu-  
 mentationes necessariò refellente,  
 qua tum veteres tum recentiores  
 Theologi feliciter nonnūquam ad-

*Naz. o-  
 rat. 1. de  
 Theol.  
 Arist. 2.  
 Rhet.*



## EPISTOLA.

versus hæreses sunt vñ.

His de causis Illustr. Generosi Co-  
mites, quum hæc nostra Responsio  
Tractatibus de Sacramentali & Spi-  
rituali manducatione à Clarissimo  
beatæ memoriæ D. Sadeele editis,  
rursus adiungeretur, ac ita excude-  
retur vt nouum opus appareat hunc  
meum laborem offerre V. I. G. non  
sum veritus: præsertim quum or-  
thodoxæ Ecclesiæ, eximio ac pio ze-  
lo à vobis propagatæ, in hac potissi-  
mum quæstione turbentur. Deus  
Creator ac Redemptor noster he-  
roicas virtutes quibus ipse V. I. G. or-  
nauit, magis ac magis suis donis lo-  
cupletet, vos adeo que vestra omnia  
felicissimè tueatur & conseruet.  
Geneuæ Cal. Febr. 1598.

V. I. G. obsequentissimus

GASPAR LAURENTIVS.



TRACTATUS  
 DE NOSTRA IN SACRA-  
 MENTIS CVM DOMINO  
 Iesu Christo coniunctione. In  
 quo agitur de CAUSA FORMA-  
 LI & INSTRUMENTALI VNIO-  
 nis cum Iesu Christo.

Aduersus Sophismata contra hanc doctrinam  
 omnia ferè collecta in libro quem Gregorius  
 à Valentia Monachus emisit cum hac inscri-  
 ptione, *Redargutio inscitiarum & fraudum qui-  
 bus nonnullis Theologi & Philosophi Geneuenses,  
 subsidiarij Antoni Sadeelis, eum librum cauillati  
 sunt, quo præcipuum mysterium doctrinæ Caluini-  
 starum examinatum & conuictum est. Redar-  
 guuntur Insцитia siue errores centum & septem:  
 Mendacia centum & nouem: Dissimulationes  
 quadragintaquinque.* Ita conatus est refelle-  
 re librum quem Clariss. vir D. Sadeel Indi-  
 cem errorum Gregorij de Valentia inscri-  
 psit.



Faciliùs tota de Sacramentis qua-  
 estio componitur, hoc si obserue-  
 mus: Theologos tum veteres tum  
 recètiore, ita vocabulum Sacra-  
 menti vsurpare, vt interdum illud  
 pro

pro signis sacris accipiant: interdum etiam illo designet totam Actionem, tū internam siue spiritualem, tū externam siue sacramentalem in signorum factorum applicatione. Duplicē enim esse in Sacramētis à Domino institutis Actionē, certissimum est: quarum vna constituitur in Rei signatæ perceptione: altera in sigillorum sacrorum exhibitione. Nam vt in Euangelij annūtiatione est Vocatio duplex, Externa & Interna: Ita & in Sacramētis Actio & Applicatio alia Externa, alia verò Interna. Sacramentalis Actio visibilis obsignat vocationem externam prædicationis Euangelij: & vocatio Interna per eandem Euangelij prædicationem facta, in Sacramenti actione Interna ratificatur. Ita hæc vocabula, S. Baptismus, & S. Cœna, sæpius vsurpantur pro tota Actione Sacramenti tū Interna, tum Externa & visibili, Signa & res signatas eorumq; applicationem cōprehendente. Ex quo rectè dicitur, Corpus Christi in S. Cœna verè adesse, & re ipsa ab ipso Domino exhiberi. Sic & in Baptismo peccata solui. Nec tamen dicendum est, Aquam Baptismi esse sanguinem Domini quo vno peccata remittuntur: neque dicendum corpus Christi contineri aut subesse signis sacris: quæ doctrina hoc Diagrammate proponitur, & verbi diuini dilucidis testimoniis in sequentibus confirmatur.

|                         |                        |
|-------------------------|------------------------|
| In Sacramēti Actione    | In Actione Sacramenti  |
| visibili & externa      | interna & spiritua-    |
| hæc sunt proposita,     | li, hæc sunt proposita |
| Relatè ad actionem      | ta ad quæ tota visi-   |
| internam & spiritua-    | bilis Actio est refe-  |
| dentalem sigillatim ve- | renda.                 |
| re reuocanda.           |                        |



1. Sacra Signa & sigilla  
sive obsignacula, à  
Domino instituta:  
nempe, Aqua in S.  
Baptismo: panis &  
vinum in S. Cæna.

2. Minister verbi diu-  
ni illa sacra Signa ex  
instituto Domini ad  
obsignandum appli-  
cans.

3. Corpus hominis illa  
sacra signa & obli-  
gnacula recipiens, &  
os corporis illa man-  
ducans.

Ex quibus constituitur  
Sacramentalis actio  
quæ est obsignatio,  
cõiunctio & māduca-  
tio externa & visibi-  
lis, quibusuis tã fide-  
lib. quàm infidelibus  
cõmunis. Nã Sacra-  
mentũ respectu Do-  
mini instituentis, ac  
illud nobis offeren-  
tis, quibusuis semper  
est sacramentũ, quia  
constituitur Sacra-  
mentũ ex eo qui insti-  
tuit, ita nõ desinit es-  
se Sacramentũ, quã-

1. Res signata quæ est  
corpus & sanguis  
Domini: Mors &  
passio ipsius: & i-  
plius beneficia.

2. Spiritus S. exhibens  
rem illam signatam,  
Christum vnã cum  
eius beneficiis.

3. Fides in hominis  
anima à Spiritu S. ef-  
fecta, quæ tanquam  
instrumento spiri-  
tualis res à S. Spir. ap-  
plicatę recipiuntur.

Ex quibus constitui-  
tur vnio, Manduca-  
tio, & coniunctio  
cum Christo spiri-  
tualis, solis fide-  
libus propria, quam  
qui fide destituun-  
tur nunquam per-  
cipiunt, imò sua in-  
fidelitate Rem illam  
signatam ac saluti-  
feram reiciunt. Ita  
multi Sacramenta-  
lem actionem visi-  
bilem, participant,  
qui hac interna re-

rum signatarū perceptione destituuntur. uis infideles ob signationem per illud factam reiciant.

Ex quibus iam illud fit manifestum, quod paulo post multis probabimus: Actionem Sacramenti Internam & spiritualem, & Externam uisibilem que distinguendas esse, non confundendas: coniungendas tamen nec diuellendas in usu Sacramenti legitimo. Illa quoque Sigilla sacra non esse cum rebus ob signatis & designatis commiscenda, quasi coalescerent ad totum aliquod constituendum, aut ad vnā hypostasin efficiendam: sed diuerso modo illa exhiberi, diuerso modo recipi. Efficacitas quoque Spiritus S. ad Ministros illa sacra symbola applicantes, non est transferenda. Nec oportet modum & instrumenta ad res illas omnes recipiēdas comparata, confundere: de quibus infra fusiùs: ut uerus Sacramentorum ad salutem usus, aduersus omnem idololatricam & abusum ex uerbo Dei ab orthodoxis doctoribus propositus, ut cunq̄ue hīc à nobis explicetur.

Sed hic aduersus varias obiectiones in Gregorij Valēiani libello collectas, primū declarandū est, Quomodo oporteat Baptismi Sacramentum cum S. Cœna conferre. Deinde explicandum erit, ipsum Dominum in S. Cœnæ institutione, & Apostolum in I. ad Corinth. 10. & 11. manifestè declarare, quo pacto Dominus noster hac Enūtiatione, Hoc est corpus meum, Panem S. Cœnæ suum corpus appellet: ac uicissim quo pacto, apud Ioannem, Carnem suam Panem esse dicat. Pluribus inde exponemus rationem Causæ for-



malis nostræ cum Christo coniunctionis, propter quam præcipue fuit hæc à nobis instituta tractatio: ut super hac re multorum diluamus obiectiones. Nonnulla tamen Gregorij Monachi argumenta prius sunt refutanda: ut ad illam explicationem facilius aditus præbeatur.

Prima fuit hæc Gregorij argumentatio quæ perperam Aquæ Baptismi perceptionem cum corporis Christi in S. Cœna perceptione cõfert.

**Obiectio** *Geneuenses patroni Sadeelis, inquit Monachus, in Indice suarum cauillationum, negant aquam Baptismi abluere animam, quia Petrus 1. epist. cap. 3. dicit: Saluos facit Baptisma: non carnis depe suto sordium. Ita enim refutare se putant, quod ego dixeram, non esse absurdum, ut corpus Christi percipiatur ore corporis ad Spiritualem nutritionem animæ: quandoquidem aqua etiam Baptismi, non absurde percipitur corpore, ad spiritualem animæ abluionem.*

**Responsio.** In hac argumentatione, quam iste conatur institueret à Similibus nulla est proflus Terminorum, quos sumit, similitudo, ut partes partibus respondeant, quibus legitima consecutio elicatur. Melius Hieron. in 4. cap. Elaiæ. *Homo Aquam tantum tribuit, Deus autem baptizat Spiritu S. quo peccata purgantur.*

**Quomodo sit Baptismus rite cum S. Cœna conficiendus.** Corrigamus igitur istius argumentationem. Quin de iis quæ similiter se habet, eandemque habent Analogiam, similia proflus sint itatueda: Signum Baptismi, nempe Aqua, cum Signis S. Cœnæ, nempe Pane & Vino: Res verò designata & promissa ad salutem in Baptismo, cum Repromissa & designata in S. Cœna: Modus denique

que & Instrumentum Receptionis in vno Sacramento cum Instrumento & modo Receptionis in altero, rectè cōfertur. Ex quibus quā optimè sic colligitur. Sicut Aqua Baptismi, quæ est signum & sigillum, sensibiliter in corpore recipitur, eiusque essentia naturalis corpus tingit: Promissio verò ei annexa ad Animam vsque fidelium peruenit: Ita, Panis & vinum in S. Cœna, sunt signa & obsignacula, quorum essentia sensibiliter corpore percipitur: Res autem ad vitam, Animā credentium percipitur. Nam rectè Ambrosius de Sacram. l. 5. c. 4. *Non iste Panis est, inquit, qui vadit in corpus: sed Panis vite æternæ, qui Animæ nostræ substantiam fulcit.* Porro Aqua Baptismi non Renouat ac viuificat Animam: sed Sanguis Christi, operatione Spirit. S. eam abluir, Renouat ac viuificat: Sic etiā corpus Christi, non ipsa signa Sacramentalia, in S. Cœna alit Animā. Ergo illa Signa Animā ipsam non attingunt essentia suā quæ est corporalis: sed ea quæ in Anima sunt, & quæ ab Anima percipiuntur, in corpore obsignant. Ita Circūcisio alia fuit in corde, alia in corpore. Deut. 30. 6. Col. 2. 11. Roman. 2. 29.

AMBROSIUS De Spir. S. l. 3. c. 11. *Alterum inuisibile, alterum visibile testimonium Sacramento consequimur spirituale: quia Spiritus reddit testimonium spiritum nostro.* Et Epistol. 84. lib. 10. *Vigilanter considerandum est in ipso Regenerationis munere quid geratur. Aliud est quod visibiliter agitur, aliud quod inuisibiliter celebratur.* Et lib. 2. in Luca. *Aqua corpus abluir in Baptismo: Spiritus, anime delicta mundantur.*

AUGUSTINUS libro questionum ex

nouo Test. c. 39. *Donum cœlestē non poterit consequi, qui se per Aquam nō per fidem immutare credat. Aqua enim cernitur, sed qui non videtur Spiritus, operatur.* Et tract. 6. in ep. Ioan. *Aliud est Aqua Sacramenti, aliud Aqua que significat Spiritum Dei. Aqua Sacramenti visibilis est: Aqua Spiritus, inuisibilis est. Illa abluit corpus, & significat quod sum Anima: per illum Spiritum ipsa anima mundatur. Ipse est Spiritus Dei. Rectè igitur negatum est, Aquam Baptismi abluere Animam: licet verissimū sit, Animam abluī in Baptismo. Corpus enim Aquā illā tingitur: & Anima Sanguine Christi abluitur. Aqua Baptismi pertinet ad Animæ abluitionem, tanquam Instrumentum & medium externum corporeum ad suum finem internum & spiritualem accommodatum. Ex his etiam intelligitur, eadem in S. Cœna, de Signis visibilibus & de corpore & Sanguine Christi, corūque perceptione, necessariū esse statuenda.*

Gregorius tamen vt falsam Hypothesin probet: nempe, Aquam percipi ab Anima, & locum Petri aduersus illam sibi obiectum diluat: sic ait, *Petrus ipse eos redarguit in eo quod negant, Aquam Baptismi abluere Animas. Sic enim ait: Oīto Animæ saluæ factæ sunt, & c. Itē eos redarguit Christus Ioan. 3. illis verbis. Nisi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu S. Certè Anima imprimitur salua per Aquam atque adeo per eam spiritaliter abluuntur.*

Promissionem annexā in Baptismo quæ ad Animam pertinet, cum ipsa Aqua confunditur: ac tacita calumnia vitur, quasi dicamus nihil ex Sacramento ad Animā ipsam peruenire. Itaque fallacia est & deceptio, à Dicto secundum quid, ad dictum



dictum simpliciter.

Præterea locum illum Petri *octo Anima salua* Locus. 1.  
Pet. 3.  
*per Aquã*, peruersa homonymiã corrumpit. Nam,  
*Anima*, loquendi genere in S. Script. vsitato, &  
 ex phrasi Hebraica, etiam in Nouo Testamento  
 passim vsurpata, vt Act. 2. 41. & 323. pro ipso Ho-  
 mine toto ponitur: ita vt apud Petrum, *Octo A-*  
*nime*, sint octo Personæ. At iste per Animam in-  
 telligit partem illam hominis quam in illa sua  
 falsa hypothesi intelligit. Simile fraudem com-  
 mittit in homonymia, *Per Aquã*, dicitur *ũd a Gc*: quasi  
 Aqua ipsas saluas fecerit octo illas Animas: quũ  
 tamen illis verbis significetur illas Personas, in  
 medijs illis diluuij Aquis, fuisse seruatas, quum  
 Arca per illas ueheretur. Sic Paulus ait adum-  
 bratũ fuisse Baptisum, quum Israelitæ per Ma-  
 re transierunt *ũd tũc baλάνης*, inquit. 1. Cor. 10.  
 Ipse etiam Petrus Apost. continuo Redditionẽ  
 similitudinis explicat, quum addit: *Non carnis*  
*depositio sordium*. Nam Aqua, licet sit Instrumen-  
 tum quo Spir. S. uiuitur, non tamen efficacitatem  
 Spir. S. in Anima nostra præstat. Ideo Christus,  
 Ioan. 3. statim subiicit. *Qui genitus est ex Spiritu,*  
*Spiritus est*. Et paulò pòst, *Quisquis est* (inquit)  
*genitus ex Spiritu, &c.* nulla facta nominis aque  
 mentione, nempe ne ad Signum externum ad-  
 hærescamus. Sic etiam Petrus admonet, ne Ba-  
 ptismi vim ipsi Aquæ tribuamus, quum non di-  
 cit Aquam Baptismi nos seruare, sed nominatim  
 exceptionem addit. Vnius enim Christi sanguis  
 est Animæ nostræ lauacrum. 1. Pet. 1. 2. & 1. Ioan.  
 1. 8. Ephes. 1. 7. Hebr. 9. 14. Apocal. 1. 5. Aqua igitur  
 in Baptis. est tantum eius lauacri signum & sigil-

lum: ex quo docemur in Christi sanguine, morte & Resurrectione fiduciam nostrā esse in solidū reponendam, Rom. 3. 25. & 5. 9. Col. 1. 20.

Repetit Gregorius illud Augustini tr. 80. in Ioan. *unde est ista virtus aqua, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? &c.*

*Locus Augustini ab istius falsa interpretatione vindicatur.*

Sed Augustinus ipse sese ab hoc errore liberat, si tota ipsius oratio rectè expendatur, quæ sic habet: Quare non ait, Mundi estis propter Baptismum quo loti estis, sed ait, propter verbum quod locutus sum vobis: nisi quia & in Aqua verbum mundat? Detrahe verbum, Quid est Aqua nisi Aqua? Accedit verbum, ad elementum, & fit Sacramentum, etiam tanquam ipsum visibile verbum, &c. unde ista tanta virtus Aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est, Sacramentum transiens, aliud virtus manens: hoc est, verbum fidei quod prædicamus, inquit, Apost. &c. unde in Actis legitur: fide mundans corda eorum, & in Epist. sua beatus Petrus: sic & vos, inquit, Baptisma saluos facit: non carni depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogatio: hoc est verbū fidei quod prædicamus: lege Apostolum, Eph 5 ut eam sanctificaret, inquit, mundās eam lavacro Aquæ in verbo, &c. totum fit per verbum, de quo Dominus ait: iam vos mundi estis propter verbū quod locutus sum vobis. Sic igitur Aug. seipsum exponit: Vbi diligenter obseruandæ sunt hæ phrasæ, *faciente verbo. Item, Totum hoc fit per verbū. Item, Aliud est Sacramentum transiens, aliud virtus manens.* Ergo, Cor abluere, tribuitur Aquæ, tanquam



quam Sacramentali instrumēto: sed ablutio ipsa tribuitur verbo: *faciente verbo*, inquit Augustin. Quod si Aqua cor etiam ablueret, quid faceret Spirit. S. & Christi sanguis? Aqua enim & corpus tangeret & cor ablueret, hoc est omnia in Baptismo prestaret: ac proinde Sacramentum Baptismi ex Aqua sola constaret. Rectè igitur idem Aug. in epist. Ioan. tr 6. Aqua, inquit, Sacramenti visibilis est: aqua Spiritus est inuisibilis. Ista abluit corpus, & SIGNIFICAT quod fit in Anima. Per illum Spiritum ipsa anima saginatur & mundatur. Quibus verbis prostermitur Monachi istius peruersa Argumentatio. Et Lomb. ex August. l. 4. dist. 4. Sine visibili, inquit, inuisibilis sanctificatio esse potest & prodelle: visibilis autem quæ fit Sacramēto tenus, sine inuisibili, prodelle non potest: quum ista sit omnis illius utilitas. Si noni Mago visibilis Baptismus nõ profuit, quia inuisibilis non adfoit. Haec illi, Baptismum Internum factum à Spirit. S. per sanguinem Christi, à Baptismo Externo, qui visibiliter per Aquam à Pastoribus Ecclesiæ administratur, & res ipsas Signatas à Signis visibilibus, rectè & appositissime distinguentes.

Durandus Pontificiorum Doctor Scholasticus illam Valentiani argumentationem expressis verbis refellit sic loquens: Res Sacramentales cum sint corporales, suam propriam actionem non possunt habere circa animam in qua recipitur effectus Sacramenti, ut probat August 6. *Mu-  
ficæ*. Ergo impossibile est quod res sacramentales in virtute alterius agant in anima nostra. *Ibi*. Sicut rebus Sacramentalibus comperit ratio Signi, sic & ratio causa, & non plus. Nec in iis est

*Durandus  
& Bonaventura  
& Scotus  
Adversarios  
nostros in  
hac parte  
refel-  
lunt.*

*In 4. sent.*

qualitas spiritualis influxa à Deo. Corpus agit in corpus, sed non agit in spiritum. In ipsis verbis sacramentalibus non est essentialis virtus. Est fictio dicere, quòd in vltima syllaba aut alia sit virtus. Aug. in Ioh. Tract. 80. dicēs, *Nisi faciente verbo*, non dicit aliquam virtutem esse in Aqua, nisi quam facit fides verbi, quo Baptismus confertur. Hæc est fides qua credimus Patrem Filium & Spiritum Sanctum remittere peccata in Baptismo. Et sic virtus dicitur esse in Aqua per verbū: quia verè credimus quod virtus Patris, Filij, & S. Sancti inuocata, per verbum sanctificat baptismum in aqua. *Ibi*. Baptismus Christi est signum & representatio quod per Christum effectiue est Regeneratio spiritualis, quæ fit per Aquam tanquam per Sacramentum, & per solum Deū tanquam per causam immediatè efficientem quicquid ad regenerationem spiritualem pertinet. Illud satis insinuat Iohan. 3. vbi postquam fecit mentionem Baptismi, nomine aquæ, postea totam eius efficaciam attribuit Spiritui Sancto, & nullam Aquæ. Hæc Durandus. Bonaventura quoque Pontificiorum doctor Scholasticus in eandem sententiam Cauendum est, inquit, ne dū nimis damus corporalibus Signis ad laudē, subtrahamus honorem gratiæ curanti & animæ suscipienti. Sicut igitur literæ Regiæ, magnæ sunt utilitatis & virtutis annullo Regis sigillatę, & magna dicuntur & posse & facere: tamen in iis nulla virtus est absoluta, sed sola ordinatio per assistentiam virtutis Regiæ. Sic intelligendum in Sacramentis: & sic loquuntur Sanctorum auctoritates. Super Signis fundatur hæc Relatio.

Bona-  
uentura  
In 4. sent.  
dist. 1. qu.  
2.

tio. Secundùm hanc viam omnia sunt clarissima. Et Dist. 3. q. 2. Nec est intelligendum quod aliqua actio sit ab aqua Baptismi an animã. Et dist. 10. quæst. 1. In Aqua Baptismi non est gratia sicut contenta: sed tantùm sicut in Signo. Hæc Bonaventura. Audiant igitur Pontificij saltem suos Doctores, & cum illis, imò cum ipsa ratione verissima, non nobiscum iam litigent.

Scotus hanc controuersiam sic tractat. Aqua Scoti sens. in quantum est Instrumentum diuinæ misericordiae, habet effectum vltiorem quàm Aqua quæ abluit corpus: non quidem ad gratiam tanquam eam attingat, sed ad dispositionem quæ est character. Sic ergo Sacramentũ non agit Instrumentaliter ad gratiam, sed dispositiuè. Homo non quærit salutem à Sacramentis quasi AB eis, sed Per ea A Deo. Dicitur potest quod virtus est in Sacramento, certitudinaliter. Nam non posset Signo in quantum est practicum competere maior potentia. Sed ista virtus non est aliqua forma absoluta, sed tantùm Relatio Conformitatis Signi ad Signatum: quæ Cõformitas dicitur in Signo. Definitio Sacramenti nihil aliud dicit, nisi quod Signum est efficax, quod sit practicum, certum & præuium & verum naturaliter ad suum signatum. Virtus sacramenti est efficacia signi respectu signati. Hæc illi Theologicè differentes vt Chrystost. *In Baptismo non à sacerdote Baptizaris, In Matt. sed à Deo caput tuum virtute inuisibili tenetur. Quis hom. 51. enim homo regeneratur, solius Dei hoc munus est.* Et August. *Miserabilis seruitus est Signa pro rebus accipere. Iudæi Signis pertinaciter inhaerunt. Christiana libertas non veneratur utile Signum diuinitus in-*



Lib. 3. de  
doct. Chr.

stitutum, sed illud quò talia referenda sunt ut autem  
Signa pro rebus quæ iis significantur accipere seruis  
infirmis est: ut inuituer signa interpretari, male  
vagantis erroris est. Ibi. pauca signa ipse Dominus &  
Apostolica doctrina tradidit, sicut est Baptismi sa-  
cramentum, & celebratio corporis & sanguinis Do-  
mini. Ea non carnali seruitute sed spiritali potius li-  
bertate veneremur. Hec illi.

Ibidem.

Instrumē-  
ta non  
sunt cum  
causa ef-  
ficiēte  
confundē-  
da.

Causa item Instrumentali, inquit Valentianus,  
tribuenda est operatio, tamen si non ipsi ex se & prin-  
cipaliter. Ergo, ex tui ipsius verbis, non Instrumē-  
to sed causa, cui in seruit, tribuitur principaliter  
operatio. Præterea, quæ sit instrumentalis ista sa-  
cramentalium signorum vis, fuit à Gregorio ex-  
plicandum, nempe ad obsignandū in corpore &  
significandum menti quod intus præstat Sp. san-  
ctus per Christi sanguinē. Nec enim confundē-  
dum est Instrumētū, siue sit Separatum siue sit  
Coniunctū (ut loquuntur in scholis) cū causa sua  
efficiēte vel finali. Et quoti scunq; operatio tri-  
buitur Instrumēto: ita oratio est resoluenda, A-  
ctionē seu operationem tribui causæ principali  
cuius est instruētū. Instrumētū enim Agētis, nō  
est agētis vis & efficacia: ut infra fusiùs explicatur.

Falsa hy-  
pothesis  
Gregorii  
pag. 2.

Nonne Christus instituere potuit, inquit Grego-  
rius Valentianus, ut cibus spiritalis corpore quo-  
que sumeretur, nihil instituendo de cibo corporali, ut  
sumeretur animo? Neque enim nos volumus cibum  
spiritualem, ex ipsa rei natura sumendum esse corpo-  
re, ut nutriat animū: sed ex Christi institutione. Impe-  
ritè igitur isti colligunt: (in Indice art. 5) corpus Chri-  
sti non esse percipiendum ore corporis, quoniam sit ci-  
bus animi.

Hæc

Hæc iste, hypothefibus fictitiis inhæres, quod illi perquam est in suis argumentationibus familiaritate. At non queritur quid Christus potuerit instituire, sed quid instituerit: id que ex S. Scriptura demonstrandum: ex qua discimus cibum spiritualem, non sumi corpore. Ergo iste hac in parte vitium Petitionis principij admittit. Contrariū planè demonstratur ex ipsa Domini voluntate, qui nō vult harum rerū, vt nec sui veri Corporis, naturam euertere. Itaque perpetuò firmum manet hoc Argumentū: Quicquid ad hanc vitā corpus nutrit, ore corporis sumitur: & vicissim: Itē, Quicquid Animam nutrit ad vitam spiritualem, non instrumento corporeo, vt est os corporis: sed instrumēto Spirituali, tantū sumitur: nempe fide, quæ est tanquam os Animæ. Eph. 3. 12. 16. Nam qua ratione aliquid est cibus & alimonia, ea ratione etiam sumi necesse est. Alioquin evertitur & Christi institutum, & illarum rerum natura: Item nisi hoc discrimen statuatur, tollitur quoque istorum ciborū ac etiam vitæ spiritualis & corporeæ discrimen. Constat autem Christi corpus esse hominis cibus & alimonia ad vitam spiritualem, non ad vitam corpoream naturalem. Ergo Instrumento corporeo non sumitur, sed tantū Spirituali. Ex anima autē quæ est corporis ~~et redētes~~ & Hominis forma, ad ipsum quoque corpus credentis redundat spiritualis illa vita. Necesse est igitur, animam id percipere, quod vitam spiritualem profert, vt totus homo ad vitam spiritualem & æternam viuificetur.

*Cibus spū  
ritualis  
& corpo-  
ralis non  
sumuntur  
eodē ore.*

*Potest, inquit iste lepidus sophista, id quod ad salutem animæ institutum est accipi corpore, vt Aqua*

*Error  
Gregoriū  
Ibidem.*



baptismi, atq; adeò etiam cibus cœlestis, qui est Christi corpus. Similis namque ratio utrobique est. Nam caro Christi non nisi ut instrumenti diuinitatis nutrit animam, sicut aqua, ut eiusdè instrumenti, animum abluir. Quamquam est quidem discrimen, quòd caro Christi est instrumentum diuinitati Còiunctum: aqua

Caro Christi non potest dici instrumentum ut Aqua Baptismi.

verò Separatū. Sed ut aqua baptismi, quæ est Instrumentalis causa Regenerationis animæ, rectè accipitur corpore: ita etiã aptè percipitur corpore caro Christi, quæ est ut Instrumentalis causa Nutritionis animæ.

1. Enstasis allata de Aqua baptismi, nihil elicicit ad labefactandum hoc nostrorum firmissimum argumentum: nempe, Christi corpus, seu Christi carnem, esse cibum animæ cœlestem & spirituales: ac proinde modo cœlesti & spiritali ab Anima manducandum esse, non autem ore corporis. Nec illa Instantia attingit argumentum: tum propter discrepantiam terminorum: tum quoniam Aqua corpus nostrum tingit sensibiliter, visibiliter, corporaliter, nec ad Animam essentia Aquæ pertingit, ut antè dictum est. At corpus Christi neque visibili neque sensibili, neque corporali modo manducari, ne ipse Valentinianus quidem negarit, quod tamen omnino manducandum Animo, iuxta illud: *Qui manducat meam carnem, habet vitam: Qui non manducat meam carnem, non habet vitam, &c.* Ioan. 6. Item: *verba que loquor vobis Spiritus & vita sunt.*

2. Quam addit, Carnem Christi esse instrumentum Diuinitati Còiunctum, Aquã verò Instrumenti separati: ipse se refellit, suãque Enstasin tollit. Sequitur enim ex eo discrimine, nõ oportere Aquam Baptismi ad animam peruenire, ut anima abluatur.

abluatur: & tamen necesse esse, ut corpus Christi ad animum perueniat, ut ex eo nutriatur. Nō enim Christus apud Ioannem dicens: *Qui manducat meam carnem*: dicit, Qui manducat meam Deitatem, inseparabiliter cum Natura Christi humana coniunctam. Quod rectè August. ep. de consecr. dist. 2. locum illum explicans. *Christus, inquit, determinat quomodo sit Panis, non solum secundum verbum, quo viuunt omnia, sed secundum Carnem assumptam pro mundi vita.*

Instrumentum autem Coniunctum dicitur à *Quid sit Instrumentum Coniunctum & Separatum.* scholasticis Doctoribus (ut obiter hoc explicemus) quod non mouetur localiter à principali agente, nec recipit ab eo aliquam virtutē, sed dicitur Agens ex se secundarium, ut calor naturalis est instrumentum Animæ: & omnis qualitas Actiua, dicitur Instrumentum coniunctum formę substantialis. Separatum verò Instrumentum dicitur, quod recipit à principali agente formā & virtutem operādi per motum locale. Eiusmodi sunt Instrumenta artificum, in quibus propriè recipitur nomen Instrumenti. Ergo, ex ipsa Doctorum scholasticorum doctrina, perperam Valentinianus de Instrumento separato & coniuncto loquitur. Nam in Aqua Baptismi & in S. Cœnæ signis & Sigillis sacris, nequaquam est virtus localis motus à Deo influxa, siue qualitas inhærens in ipsis indita qua operentur: ut supra demonstratum est. Nec sunt etiam Signa sacramentalia Instrumenta Deitati coniuncta. quod & Valentinianus hinc agnoscit.

3. Est etiā in ista cōparatione crassissimus error, nec in Theologia ferendus: quòd Corpus

Christi dicatur ita esse Instrumentū Deitatis, & causa illius Instrumentalis ad nutriendā animā: sicut Aqua Baptismi est etiā Instrumentū Deitatis & Instrumentalis causa Regenerationis. An verò, Gregori, hæc tua portēta vel ipsi tui gregales ferent? An (inquā) caro Christi sic nos nutrit ad vitam, vt Aqua baptismi nos dicitur Regenerare? Declarandum est igitur quo sensu Humanitas Christi dicatur interdum ab orthodoxis Theologis Instrumentum Deitatis ad nos seruandos.

*Quomodo  
caro Christi  
si dicatur  
Instrumentum.*

Primū videlicet, quia hæc Humanitas est Deitati filij hypostaticè vnita: non vt Nestoriani dicūt, sed prout à Damasceno & inter Scholasticos à Thoma potissimū explicatur: quia deinde Filius Dei in illa humanitate subiit pœnas peccatis nostris debitas. Ita fit vt Passio Christi & Resurrectio nobis sit viuifica per Humanitatē. Tertid demū, quia nō nisi eius Humanitatis, à nobis per fidē apprehēsa, interuentu, possumus esse mēbra Christi, vt per eū viuificemur. At neq; verbo Dei annūtiato neq; Sacramētis quicquā istorum tribuitur: vtpote quæ tantū sint Instrumenta quibus Christus nobis declarat suā voluntatē: qua ratione Paulus dixit: Qui plantat & qui rigat nihil est.

4. Ex ista præterea peruersissimam collatione Aquæ baptismi cū carne Christi: natura quoque Sacramenti evertitur: quasi videlicet in S. Cœna Domini, nihil nisi caro, siue corpus Christi, percipiatur. Quid fiet igitur Speciebus illis Panis & Vini, quas tui sodales etiā asseuerant esse Signa corpore nostro percepta? Nū vnica etiā Aqua in Baptismo percipitur? quid fiet sanguine Christi per quem solū Spiritus S. animas nostras abluat?

Hæc



Hæc etiam istius verba, *Posse percipi corpore*, absurda sunt. Nam vocabulum *Posse* non ponit Actum. At hic quæritur quid Actu verè fiat, non quid iste *Posse* fieri somniet.

5. Vt Medium illud valeret, statuendū esset hoc Pronunriatū: Quicquid quouis modo Instrumentū dici potest, eodem etiā modo percipi potest. Quod absurdum esse, etiam ipsi idiotæ agnoscunt: præterquam quòd falsum etiā est, tum propter Instrumentorum, tum propter Efficientium, Effectuum & recipientium diuersitatem.

Argumentū igitur istius Monachi nullum est. Corpus enim Christi & Aqua Baptismi toto genere discrepant: nec eodem modo dici possunt Instrumenta. Omitto etiam homonymiam quæ est in illis verbis, *Ad salutem anime institutum*: quæ aliter intelligēda esse, quū de Corpore Christi & de carne eius percipienda, aliter quum de Aqua baptismi agitur, cuius notum est. In mysterio denique S. Cœnæ Corpus Christi nō consideratur vt Instrumentum, sed vt res ipsa promissa, ad quam Sacramenti Signa referuntur.

*Christum Eucharistia sumi etiā spiritualiter dixi*, Error  
inquit iste, *quatenus animus dignè communicātis à Greg.*  
*Christo in Eucharistia substācialiter presente, gratiā*  
*& spirituale alimētū percipit. Nā voce illa Quatenus,*  
*non causam, sed modū unum, quo etiā percipitur Cor-*  
*pus Christi, explicant, scilicet secūdum effectum, &c.*

Ille Iesuita, vt effugiat argumentationem, Artic. 5. Indicis, cōfundit ad vocē, *Quatenus*, nec Vocabu-  
satis animaduertit, illam, particulam alia omnia lo  
excludere, præter id quod ponitur. Itaque phi- Quate-  
losophi, voce *Quatenus* & similibus, vtuntur in nus abu-  
situr Gre-  
gorius.

præscribendis, limitandis siue determinandis subiectis: vt propter conditionem seu limitationem illam doceant, aliquod attributum conuenire subiecto necessariò in quarto modo dicendi Per se. Hoc autem Attributum: *gratiam Christi, seu alimentum spirituale recipere, ἀπλω;*, perpetua & absoluta necessitate in secundo modo dicendi Per se, connexum est & coniunctum cum Sumptione seu manducatione corporis Christi. Hinc necessaria efficitur hæc conclusio Negata: Nulli qui sunt à Christi gratia alieni, Christum sumere aut Manducare. Nam Māducatio Christi, & Reiectio Christi omnino immediatè opponuntur. Nam caro Christi manducata, ex testimonio ipsius Domini, Ioan. 6. est causa continens, *συνεχέουσα*, formalis, immediata & sempiterna illius effectus: nempe, Ali ad vitam, & habere vitā: vt paulò fufius infra explicabimus. Ex hoc efficitur corpus Christi nunquam sumi secundum effectum, vti iste loquitur, quin secundum se sumatur: nec secundum se, quin etiam secundum effectum: hoc est, nunquam in Sacramento Christi corpus ipsum manducari, quin etiam eius gratiam, merita & beneficia percipiamus, sicut expressis verbis pronuntiat Apostolus Rom. 8. *Quomodo cum ipso nobis non omnia donaret?* quia nimirum vnum ab altero diuelli non magis potest quàm effectū à causa sua continente (vt Philosophi loquuntur) aut causa continens à suo effectū. Hæc verò satis euincunt vnicum esse modum manducandi siue percipiendi ipsum Christi corpus, nempe Spiritualem, vt dictum est: ac proinde particulam *Quatenus frustra & inscienter ab isto adhibitam,*  
 tam

tam imperito & inepto Philosopho, quàm est malus & peruersus Theologus.

Alius hic est etiam error in eo quòd *sumi Christi secundum effectum* dicat esse *Modum unum quo percipitur corpus Christi*, ac sic confundit Modum sumendi cum effecto sumptionis. Nam sumere Christum secundum effectum, non est modus sumptionis, sed ipsius Sumptionis perpetuus ac necessarius effectus. Hæc enim propositio, *Quisquis percipit vel Manducat carnem Christi, percipit etiam eius gratiam, & alitur ad vitam æternam*, nihil aliud indicat quàm Christum tunc percipi secundum effectum: & Christum percipere secundum effectum, nihil aliud est quàm eius gratiam & beneficia percipere. At istis pseudotheologis, māducatio corporis Christi Spiritualis, nihil aliud est quàm Christum sumere secundum effectum, hoc est eius beneficia, non autem ipsum percipere. Quam tamen neque Christus secundum se absque ipsius beneficiis, neque ipsius beneficia absque ipso percipi possint. Et quidem neutrum vnquam aliter quàm spiritualiter, quia cibus est animæ.

*Percipitur*, inquit iste, *ipsum Christi corpus tum in Sacramento substantialiter præsens: tum extra per fidem & charitatem*. Et paulò post, *fides & charitas perfecta Christum secundum se complectuntur*.

Hic igitur agnoscit Christi corpus, fidei esse præsens, & secundum se spiritualiter percipi: ac proinde secundum effectum. Quod nos imprimis in hac quæstione virgemus. Sed tamen iste ne sic quidem prorsus cū sacra Scriptura loquitur. *Fides Christi sumis, &*



*differt à  
Charitate.*

nec vera fides sine charitate vera (perfecta enim  
nequit esse dum sumus in hac via) Scriptura ta-  
men docet aliam esse proprietatem Fidei, aliam  
Charitatis. Nam Fide Christum apprehendimus,  
amplectimur & percipimus, qui sic fide receptus  
& inhabitans Charitatem in nobis creat. Hinc  
illud, quomodo Christus de hoc mysterio loquitur:  
*sunt quidam ex vobis qui non credunt: & ad Ephes.  
Per fidem Christus habitat in cordibus nostris.* Cha-  
ritas verò Christum amat quem fides cognovit  
& apprehendit, proximùmque propter Chri-  
stum diligit. Itaque Fidei propositum est Euen-  
gelium, Charitati verò, Lex: quod in Theologia  
non obseruatum maximis erroribus causam prae-  
buit.

*Error  
Gregorii.*

*In perceptione spirituali, inquit, duo possunt consi-  
derari. Alterum est actus quidam ipsius hominis, qui spi-  
ritualiter Christum percipit. Alterum est Vnio, qua  
cum percipientis animo Christus coniungitur. Si consi-  
deretur actus percipientis, quousqueque spiritualiter  
Christus percipitur, percipitur secundum effectum &  
secundum se, & ideo secundum effectum quia se un-  
dum se. Si autem consideretur Vnio, extra Sacra-  
mentum non percipitur Christi corpus secundum se,  
sed secundum spiritualem effectum, cum non aliter a-  
nimo percipientis extra Sacramentum uniat. Sed  
in Sacramento, considerando item unionem, percipi-  
tur spiritualiter & secundum effectum, & secundum  
se simul: ut non distat loco ab a uno communicantis.*

*Vnio &  
Perceptio  
non possunt  
d. nulli.*

Hæc ille, non distinguens, sed pervertens. Ac  
primùm quidem Academicorum more fluctuat,  
nesciens vbi pedem figat, quæ tam crebriò voces  
Possè, possibile & similes formulas usurpat, quæ  
à c. r.

à certitudine demonstrationis procul absunt.  
 Quæritur enim quid Actû fiat.

Hac autem distinctio, perperam disiungens  
 Vnionem à Perceptione, quam Actum perci-  
 pientis esse dicit, facit Perceptionem sine vnio-  
 ne, & vnionem cû Christo Spiritualem sine Per-  
 ceptione: quum tamen ista reciproçè cohæreant:  
 vt si homo spiritualiter Christi corpus percipit,  
 spiritualiter etiam cum eo vnietur: & vicissim.  
 Quicumque igitur spiritualem perceptionem  
 Christi, siue extra Sacramentû, in Euangelij præ-  
 dicatione, siue in Sacramento, agnoscit, agnoscat  
 etiam necesse est, Christum & secundum se, & se-  
 cundum effectum percipi: vt qui vnum agnoscit,  
 alterum sine exitiali errore negare non possit.  
 Sed & abutens iste vocabulo vnionis cum Chri-  
 sto (vt infra copiosius explicabitur) vritur Peti-  
 tione Principij. Idem enim est ac si dicat, sumi in  
 Eucharistia secundum se corpus Christi, quoniã  
 non distat à communicante, vt pote quod in Eu-  
 charistia contineatur & oraliter manducetur,  
 quod iste, tanquam verum hoc loco præsuppo-  
 nit, quum tamen hoc illud sit inter nos contro-  
 uersum. Nos enim asserimus Perceptionem se-  
 cundum se, & secundum effectum semper ac ne-  
 cessariò cohætere: & tum in Sacramento, tum  
 extra sacramentum in vocatione per Euangelij  
 prædicationem facta spiritualiter communicari  
 idque solis credentibus. Ergo ἀθεολόγως Mona-  
 chus vnionem cum Christo à perceptione Chri-  
 sti diuellit: & Sacramentalem coniunctionem à  
 Spirituali distinguere non nouit. Vnionē deni-  
 que corporis Christi cû ipsis fidelibus, & vnionē

ipſius cum Signis Sacramentalibus præſentem com-  
miſcet & confundit: tot errores & ſuæ doctrinæ  
maſſæ in Theologia, pauciſſimis illis verbis accu-  
mulans.

*Calumnia  
Gregorii.*

Subiicit iſte, *Caluiniſta nolunt habere corpus  
Chriſti ſubſtantialiter præſens in Sacramento: ergo  
illud non accipiunt ſecundum ſe, conſiderando unionem  
quæ eſt in præceptione, ſed duntaxat ſecundum effe-  
ctum.* Obſecro, mi homo, nonne aſſeritur ab or-  
thodoxis, quos inuidioſè Caluiniſtas appellas,  
vera præſentia Corporis Chriſti ſubſtantialis,  
quum ex S. ſcriptura docent Spiritualem ipſius  
Corporis Manducationem ſecundum ſe ac pro-  
inde ipſius quoque beneficia percipi? An ita fide  
deſtitutus es, vt Spirituale unionem cum Corpore  
Chriſti, imaginariâ eſſe, nec reuera fieri putes?

*Vocabula  
Subſtan-  
tialiter,  
Corpora-  
liter, Rea-  
liter in  
hac qua-  
ſtione di-  
ſtinguen-  
da.*

Sed hic etiam animaduertenda eſt iſtius fallacia  
in voce *Subſtantialiter*, quæ iſti falſò idem eſt ac-  
que *corporaliter*. Nam illud *Subſtantialiter* ſignifi-  
cat propriè rem ipſam quæ percipitur: *corporali-  
ter* verò modum percipiendi deſignat, *Subſtan-  
tialiter* Chriſti corpus percipere, eſt cum vera  
ſubſtantia corporis cõmunicare, ſiue (vt iſte lo-  
quitur) ſecundum ſe, non tantum ſecundum gratiam  
& effectum: quod nos cõſtantiffimè agnoſcimus.  
Sed illud *corporaliter* quod eſt orali manducatio-  
ne & contactu corporali percipere, S. ſcripturæ  
teſtimoniis freti, firmiſſimè reiiciamus: ac ipſum  
Chriſti corpus ſecundum ſe, tum in Euangelij  
prædicatione, tum in Sacramentis ſpiritualiter  
ſumi docemus. Itaque diligenter ſunt in hac tra-  
ctatione vocabulorum *Realiter*, *Subſtantialiter*,  
Cor-



*Corporaliter, Sacramentaliter, Spiritualiter*, ac consimilium à Theologis usurpatorum significationes obseruandæ: ne harum vocum homonymia decipiat. *Realiter* igitur significat Rem ipsam verè percipi, cui æquipollent voces *Substantialiter* & *Essentialiter*. Sic fideles, in legitimo vsu Sacramenti rectè dicuntur Christi corpus Realiter, substantialiter vel essentialiter percipere: Sacra signa etiam realiter essentialiter & substantialiter sumere. Sed quum *corporaliter*, & *Spiritualiter* modum percipiendi designent: certè corporaliter tantum signa percipiuntur: non ipsum Christi corpus, vt dictum est.

Quòd si *corporaliter* interdum aliter à Veteribus usurpatur, tunc non modum percipiendi denotat, sed rem ipsam perceptam designat, idèmq; significatur quod vocibus realiter & substantialiter. Vocabulorum tamen proprietas & significatio diligenter est obseruanda, ne æquiuocation. s imponant.

Sacramentaliter verò corpus Christi manducate vel percipere, est signa corporis Christi comedere. Spiritualiter autè est modus percipiendi res salutiferas, per symbola & signa Sacramenti obfiguratas.

Accipimus quod veritas cogit Gregorium dare quò ait: *Animum nostrum posse per fidem corpus Christi, etiam vt in cælo existens, atque adeò vt est quoque extra Sacramentum manducare.* Vera Confessio Gregorii ibidem. Cur igitur alibi negat, Spiritualem cum Christi corpore coniunctionem posse fieri in Sacramento, aliter quàm per indistantiam & nexum corporeum? Porro quum Christi corpus in Sacramento

Spiritualiter percipitur, annon anima tūc per fidem illud percipit? Ergo ex istius etiā vera confessione, Anima nostra potest per fidem corpus Christi, etiam ut in cælo existens, atque ad eò in Sacramento manducare. Nec illam scintillam veritatis possunt extinguere, ea quæ ipse postea subiicit, quum ait, *Corpus in Sacramento Corporaliter esse præsens, & sic manducari, tum substantialiter tum spiritualiter. Nam corporaliter, quid aliud est quàm Localiter: ac proinde visibiliter, sensibiliter, dimensiuè, & circumscripitiuè, nec alibi quàm in vno loco? Itaque iste vel renuntiat iis quæ dixerat, & Scholasticis omnibus, qui negant Christi corpus Localiter esse præsens in Sacramento: vel fateatur oportet, nos per fidem in Sacramento, Christi corpus reuera percipere. Substantialiter verò illi est oraliter & corporaliter (ut explicatum est) atque ita vocabulorum illorum genuinam significationem & explicationem deprauat.*

ἀπὸ  
 λογία  
 Gregarii.

*Inepie, inquit iste, volumi fidem esse rem inclusam & comprehensam in Sacramento. Requiritur quidem fides, sed non includitur in Sacramento. Indicis autem 7. verba hæc sunt: Piorum fidem comprehendimus. Calumniator est igitur iste voces detorqueus. Nam illa verba docent fidem requiri quæ est in ipsis fidelibus, & quæ fertur in signa ipsa Sacramentalia, ut & in verbum simplex. Fidem autem minime esse dicimus materiã aut rem inclusam in Sacramento, sed esse instrumentu recipiendæ rei Sacramento designatæ, nempe, corpori Christi & eiusdem beneficiis. Iste igitur non verba, multò minùs sententiã, illis verbis comprehensam*

lam respiciens, cum sua ipsius umbra luctatur.

*Quid prohibet, inquit, quominus particulam secundum se, potuerim referre ad Christi Personam, non vicunque consideratam, sed ut est Homo: Sic autem Persona Christi non est ubique, neque in Sacramento substantialiter ex sententia Calvinistarum, nisi forte iam sint reconciliati cum Ubiquistis.*

Nihil commune est orthodoxis, quos iste contumeliosè Calvinistas appellat, cum dogmate Ubiquitatis: sed videant quicunque vel *μετεσθίαν* vel *συνασθίαν* vel *σολλαχυσθίαν* corporis Christi constituit in S. Cœna quomodo possint *πανταχούσιον* dogma effugere. Illa enim omnia dogmata veram veri corporis & Sanguinis Christi naturam evertunt: quod nos illis constanter obicimus, & quod nullis unquam distinctionū latebris denitabunt. Itaque Transubstantiatores Consubstantiatores & Ubiquitarij in hoc argumento eodem in vitio.

Illam etiam loquendi formulam quam iste adiecit *Christus realiter abest quum corporaliter abest*, non est ferenda, ut dictum est. *Corporaliter* enim abesse, non idem esse ac *Realiter* offendimus: quoniam *Realiter* rem ipsam, nempe Christum designat: *Corporaliter* vero, modum. *Corporaliter* igitur Christus abest, sed non *Realiter*, quod vocabulum, ut & *Substantialiter*, non ad solum Christi corpus, sed ad totam Christi personam refertur. Nam alioqui veræ essent hæc propositiones, Christus est *Realiter* ubique: & Christus non est *Realiter* ubique. Quare melior est distinctio adhibenda, quàm omnes Orthodoxi retinent: nempe, Christus secundum suam Deita-

Particula Secundum se male ab isto usurpatur.

Realiter & Corporaliter differunt.



tem est ubique: & secundum suam Humanitatem non est ubique.

*Negant Sadeelici Geneuenses, Syllogismum hypotheticum habere Maiorem vel Minorem. Ablegentur Heildebergæ, ut ex Fortunato Philosopho discant hoc receptum esse, qui in hoc est doctior Geneuensibus.*

Sylog.  
Hypoth.  
vindicatur ab istius inscitia.

Id verò quod facit Gregorius, nunquam fecit Fortunatus Crellius. Quam verò hæc est istius noua doctrina, ut confundat Syllogismos hypotheticos cum Categoricalis: Syllogismi quidè hypothetici ab Aristotele in Analyticis prioribus traduntur, κατὰ ποσότητὰ εἰς ἀδύνατον, & κατ' ἀναλογίαν, qui etiam ab eo vocatur αἰ διὰ τριῶν quia facilè reduci possunt ad Sylog. Categoricalos in quib. queritur τὸ ἐξ ἀρχῆς & τὸ προσλαμβάνομεν. Quum autem Syllogismus hypotheticus Valentini non fuerit κατ' ἀναλογίαν apparet ipsum imperitè in eo quæsiuisse Maiorem aut Minorem.

Constat, inquit iste, Aristotelem nihil de Syllogismo hypothetico scripsisse. Hoc illud est quod dicebamus, istum esse miserimum Theologum, eundemque philosophiam, ac imprimis Analyticæ disciplinæ imperitissimum, ac proinde perfectissimum Sophistam. Aristoteles, inquit, nihil scripsit de Syllogismis hypotheticis. unde verò & à quo ista didicisti? an ita tui greges sentiunt? Illos cõsulas: ut si quis te paulò doctior, Aristotelis Analytica Priora perlegit, hunc errorem tibi eripiat, si minùs nobis fidè habes. Tua certè scripta, Gregori, fidem faciunt te neque ex limpidiſſimis S. scripturæ fontibus dogmata Theologica haurire: nec Philosophiã alibi quàm in compendiis, vel balbutientibus Sophistis didicisse.

Et

Et in vtrisque riuulos te tantum turbidos confectari, ac neglectis frugibus glade vesci statuisse.

*Ipsi, inquit, refellant suum mysterium Caluiniſti cum pag. 21. ſus Indicis. Art. 11. Indicis falſa Gregorij ſyllogizandi ratio coarguebatur & forma cuiuſdam illius Syllogiſmi ad Syllogiſmum Apogocicū etc. ad v. 26. reducebatur correctā ipſius inſcitiā. At ipſe ne nunc quidem inſcitiā illam ſuam agnoſcit. Centies autem demōſtratum eſt quo ſenſu & modo Chriſtus dicatur præſens in S. Domini Cœna. Itaque myſterium, de quo iſte balbutiendo loquitur, nullum aliud eſt quam illud quod Apoſtolus ad Eph. myſteriū Euangelij vocauit, de noſtra coniunctione cum Chriſto*

*Calurnia de myſterio Caluiniſtico.*

diſſerens. Sed myſterium eſt Antichriſti, alium Chriſtum proponere in Sacramentis quā reuera ſit: vt ipſe Chriſtus prædixit, Matth. 24. v. 24. 25. 26. 27. Item 2. Theſſ. 2. Apoc. 17. 5. Et miramur vos, quā in illos locos inciditis nō obſtupelſcite. Rectē igitur Aug. ſc. l. 4 de Tri. c. 18. *Chriſtus nobis non alter in fide, alter in veritate.* & Tert. ad hæret. Non, alium, inquit, Dominum in Eccleſia: alium in hoſpitiis dicebant: nec aliā Chriſti ſubſtantiam deſignabant in aperto, aliam in ſecreto.

*Caluiniſtica ſigillorum obſtrepitacula retudi lib. 1. examinis cap. 3.* Scilicet inani ſtrepitu verborum: non aliter quā quū ibi pollicitus eras te a πτόδ' εἶναι daturum, vbi nequidem forma Syllogiſtica apparuit. Argumentis ſolidis & ex Dei verbo deſumptis, Gregori, non iſtiusmodi Thraſonica ſue Monachali iactantia opus eſt.

*Duo ſunt, inquit, in Manducatione alicuius rei. Alierum eſt ipſa realis ſumptio ore corporis. Ali*

*Sumptio  
& modus  
sumptio-  
nis non  
possunt  
dissolli.*

*modus sumptionis, ob quem etiā manducatio dicitur.*  
 Duplices hic Monachus Thebas videt. Est-  
 verò Sumptio sine modo sumptionis: Imò sum-  
 ptio illa tua Oralis, quid aliud est quàm ipse su-  
 mendi modus? Ea verò in his tribus cōsistit: Im-  
 positione in os, Masticatione, vt Vetetes loquuti  
 sunt, seu dentium attritione, & in ventriculorū  
 deiectione, maximè verò propter attritionē di-  
 citur Manducatio: sed Manducatio in sacramen-  
 tis est duplex, vt dictum est. Cuiusmodi igitur est  
 manducatio, ita etiam est sumptio: ac vicissim.  
 Quid est ergo ista distractione inceptus? Item in-  
 eptè ad perceptionem oralem refert verbū *Per-*  
*cipiendi*, & ad perceptionis modum vocabulum  
*Manducandi*: quasi in hoc argumento *Percipere*  
 & *Manducare* non idem sint. Quid enim aliud  
 est percipere seu sumere ore corporeo, quàm  
 Christi corpus manducare. seu, vt euidentius di-  
 cam, Masticare? Annon hæc tua phrasis *Realis*  
*sumptio corporis*, tum rem perceptam, tum modū  
 percipiendi designat? Cuiusmodi est vnio, eius-  
 modi est sumptio & manducatio.

*Vocabu-  
la equi-  
pollentia  
in hac  
questione  
Mandu-  
candi &  
c. explicā-  
da.*

Synonyma & *ισοδυναμικά* hæc omnia sunt in  
 Theologia: Manducate, percipere corpus Chri-  
 sti: cum Christo vniri & coniungi: Item, Mandu-  
 catio, Sumptio, Perceptio, *κοινωνία* Vnio, Con-  
 iunctio, quæ hoc designant: S. Spiritum Christo  
 capiti nostro nos adunare, fidemque nostram ex-  
 co ali: ipsum & beneficia eius nobis communi-  
 cari & applicari. Ista autem *κοινωνία* quam fideles  
 à Christo capite percipiunt, Ioan. 6. denotatur  
 vocibus Metaphoricis à cibis corporis desum-  
 ptis, Edendi, bibendi, manducandi carnē & san-  
 guinem



guinem Christi. Nihil enim est vulgarius Metaphora, qua quæ sunt sensuū, intell. & ai tribuuntur: vt videre, audire, gustare, bibere, sic etiam Manducare. Ergo hæ voces Ioan. 6. *Qui venit ad me: Qui credit in me: Qui manet in me, & ego in ipso,* docent, nos per veram fidē Christi carnē percipere, eam per fidem manducari: nos per fidē efficacitate Spiritus sancti cum ea vniri & coniungi, eiusque beneficia nobis applicari. Hinc Cyrill. de Cœna Domini. *Mansio nostra, inquit, in ipso, est Manducatio.* Et August. tr. 26. in Ioā. *Hoc est manducare illam escam & illum potum bibere, in Christo manere & illum in se manentem habere.* Bernardus in Cant. ser. 71. *Christus quum pasci, pascitur: Cibus eius pœnitentia mea: salus mea manducatur & manducatur: cibus est noster & nos ipsius: mandor, quum arguor: glutior, quum instituor: decoquor quum immuor: digeror, quum transformor. Manducatur nos, & manducatur à nobis, quò illi astringamur & vniamur.* Ambrosius, *Quum ait, Quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. perinde est ac si diceret: Corpus meum quod datur pro mundo, in cibum datur, vt spiritualiter vnicuique tribuatur.* De ijs qui iñit. Tom. 4. cap. 9. *In illo Sacramento Christi corpus non est Corporalis esca, sed spiritualis: quicumque hanc manducauerit, non morietur in æternum.* Chrysostomus in 1. ad Cor. cap. 10. hom. 24. *Prepara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Illum conspicaris, illum tangis, imò comedis.* Cyprianus lib. de cœna Domini. *Nestra & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus confociat & confederat voluntates.* Ibi. *Dixerat quod nisi manducaremus eius carnem, & biberemus*

eius sanguinem, non habebimus vitam in nobis: spiritali nos instruens documento, & aperiens ad rem a deo abditam intellectum: ut sciremas, quod *Mansio* nostra in ipso sit *Manducatio*, & potus quasi quedam incorporatio, voluntatibus iunctis, affectibus unitis. Ipsa decreta Pontificiorum de consecr. distin. 2. can. vt quid. Ex August. *Vt quid paras dentem & ventrem? Crede & manducaſti, Credere enim in eum est panem & vinum manducare. Qui credit in eum Manducat eum.* Et can. credere ex August. *Credere in Iesum Christum est manducare panem & vinum: qui credit, manducat: & qui manducat carnem & bibit sanguinem, habet vitam aeternam.* August. tract. in Ioan. 26 tom. 9. *Manducare illam escam & bibere illum potum explicat Dominus, quum ait: in me manet: est enim in Christo manere & illum manentem in se habere.*

Ergo Manducare ipsum Christum, & Christum non recipere a peccatis opponantur. Quocirca nemo manducat ipsum Christum, quin sit illa manducatio ad salutem, quamuis multi manducant sacramentum ad damnationem: illi videlicet qui ex hac sacramentali manducatione ad illam spirituales Christi manducationem per fidem efficacitate S. Spiritus factam non assurgunt. Christus igitur perceptus semper est ad salutem, sed rei etus semper est ad mortem. *Quorquor eum receperunt, inquit Euangelista, d. dit eis potestatem filios Dei fieri.*

*Distin-* *Controversia inter nos & Calvinistas est, inquit*  
*tio fuit* *Gregorius, an substantialiter corpus Christi mandu-*  
*ctis Grego-* *candum sit ore corporis, quod attinet ad ipsam realem*  
*riti.* *sumptionem: non autem quoad modum sumptionis,*  
 qui

qui est alius in manducatione, & quo etiam differt manducatio à potione. Nam conuenit inter nos: corpus Christi non esse ore corporis manducandum modo ordinario manducationis.

Non eam certe potestis, Gregori, dirimere controuersiam, quam ad eò impetite cõstituis. Quis enim tibi dabit, Modum sumptionis re ipsa aliquid diuisum esse à Sumptione ipsa? Quis vnquã dixit, modum ædificandi & actum ipsum ædificandi, vel actum ipsum sumendi, & modum sumendi, ita esse duo distincta, vt vnum ab altero prorsus separetur? Nulla est enim Manducatio Oralis quæ non sit corporea, ac proinde ordinaria. Nam hæc verba *Oralis, corporalis* modum sumendi rationemque manducandi demonstrant. Itaque si ab istis quæras. Quid māducas in S. Cœna? dicent corpus Christi, & hætenus quidem rectè. Si addas. Quomodo illud percipis? Statim audies ab istis, ore corporis. Ergo non conuenit inter orthodoxos inficientes, & istos illam oralẽ manducationem affirmantes. Deinde quam isti duplicem faciunt oralẽ manducationẽ, vnã videlicet ordinariam cæterarum rerum, alteram verò corporis Christi in Eucharistia extraordinariam & Inuisibilem, Orthodoxi vt mendacium repudiant. Docent enim ex Dei verbo: fideles, Christi corpus realiter in S. Cœna manducate, sed spiritualiter per fidem, ore Animæ, nunquã autẽ ore corporis aut corporaliter: Et Ioan. 6. Os verò corporis, Sacramenta corporis Christi visibilia, realiter, corporaliter ac ordinariè ad obsignationem sumere: id quod vocatur Sacramentaliter corpus Christi manducate.



*Falsa propositio Gregorii.* Christus manducandum ore corporis dedit in Coena quicquid dedit, quod attinet ad oralem perceptionem, non quod ad perceptionis modum.

*Duae res dantur in usu legitimo Sacramenti, duobus modis sumenda.* Hæc propositio præterquam quod est falsa & inepta, petitionem principij continet: Est autem falsa, quia nunquam ex S. Scriptura poterit demonstrari. Continet autem petitionem principij: quia ponit quasi concessum id quod inter nos, maximè est controuersum: Inepta denique est & ridicula, quæ separationem adhibet inter Oralè perceptionem & perceptionis modum: quasi aliqua actio fiat sine modo proprio: & quasi Oralì perceptio non sit ipse modus percipiendi.

Cæterum, Christus quidem dedit manducandum & bibendum quicquid dedit, sed non ore corporis, ut isti autumant: sed ea demum ratione qua illum panem dixit esse suum Corpus, & illud vinum esse suum sanguinem. Duplex est igitur Manducatio & potio: vna quidè externa Signorum corporalis: altera Rerù interna & spiritualis. Dedit enim corporaliter & visibiliter panem & vinum. Ergo iussit illa edi & bibi corporaliter. Non autem potest dici Christus sic dedisse corpus & sanguinem suum: quia nec panis & vini, nec, ut isti loquuntur, eorum species, corporaliter sunt corpus & sanguis Christi, sed sacramentaliter, quoniam agitur de Sacramentis. Quæ ratione igitur panis & vinum, siue, ut isti volunt, eorum species sunt corpus & sanguis Christi, ea ratione Christus dedit illa manducanda: &, quæ ratione fractio panis, & vini effusio est corporis Christi permissio, eiusque sanguinis effusio, ea ratione panis est etiam corpus Christi, & vinum eius

ius sanguis. Denique in Sacramentis duæ res præbentur duobus modis proflus diuerfis percipiendæ, & duobus diuerfis obiectis proponuntur: nempe panis & vinum corpori nostro. Corpus verò & sanguis Christi spiritualiter, non phylicè considerata, Anima.

*Malitiosè, inquit iste, formam professionis Berengary Sadeelici obiciunt. Nam Berengarius iussus est futeri, quòd Christi corpus dentibus fidelium atteratur: nimirum, non secundum se, sed secundum accidentia panis, quibus ita intimè subsit, ac subest quavis alia substantia panis que atteritur. Dissimulant igitur resposionem meam. Gregorius vult excusare manducationem illam (quòd fortassis illius Caprocapix ipsum puder) quasi dentes infigantur quidè*

*Formula  
Berengary  
vii.*

signo, & accidentia illa dentibus atterantur, nõ autem ipsa caro Christi: & tamen ex iis quæ dicit, necessariò sequitur, nos non tantum signo, sed ipsi carni etiam dentes infigere, nõsque carnem Christi dentibus atterere: quum dicat carnem Christi illis accidentibus intimè subesse: vt si quis hominem indutum vulneret, dicatur tamen non ipsum hominem, sed ipsum pallium vulnerasse. Lector etiam iudicabit an dissimulata fuerit eius resposio ex iis quæ à Clariss. D. Sadeele de manduc. Sacr. tractata sunt. Berengary autem formula expressis verbis habet: *Non in Sacramento tantum: hoc est, secundum se, non tantum secundum accidentia panis: Absurditatem & impietatem formulæ, nunquam iste vel alij accidentibus illis suis tegent: ideo glossa textu melior, can. ait, Nisi sanè intelligas illa verba, incidis in maiorem hæresin quàm Berengarius. Certè nunquam*

poterunt docere, sine mēdacio, eoque absurdif-  
simo, Accidentia panis dentibus atteri, sine vlla  
substantia, & materia, vel ipsius Panis, vel ipsius  
corporis Christi: Hoc dictu nefariū ac blasphe-  
mum: illud impossibile & absurdum. Nam vna-  
quæque substantia subest, non quibusuis accidē-  
tibus, sed sibi conuenientibus. Substantiæ verò  
corporis Christi non conueniunt Accidentia il-  
la Panis. Ergo inane est istius effugium. Deinde  
ostēdat iste nobis, quānam, siue fidelium siue in-  
fidelium possint ipsa panis accidentia dentibus  
atterere.

Errores  
Gregorii  
Pag. 9.  
24. 55. 68.  
69. 90.

*Illis verbis, inquit iste: Accipite & manducate,  
& c. Christus precepit māducationem signi: Per par-  
ticulam Hoc, non nudam substantiam corporis de-  
monstrauit, sed vt contentam illis accidentibus seu si-  
gnis. Itaque illa etiam Accidentia percipi voluit ore  
Corporis, & pag. 55. Subiectum huius Enuntiati, hoc  
est corpus meum, id est pronomen illud demonstrati-  
uum Hoc, idem significat initio & in fine prolationis  
illius enuntiati, videlicet substantiam contentam sub  
sensibilibus accidentibus panis. Sed hanc substantiam  
si vltius secundum magis determinatam rationem  
consideremus, dicimus initio prolationis illius enun-  
tiali esse panem, & in fine corpus Christi: sed tamen  
has peculiare rationes neque initio neque in fine  
pronomen Hoc formaliter denotat: sed præ ingeny car-  
dinate isti hoc non intelligunt: & pag. 68. 69. Nun-  
quam negaui, inquit Gregorius, Enuntiationem il-  
lam esse Identicam: scilicet ita vt idē quod antea fuit  
panis postea in fine Enuntiationis verisimè & iden-  
tice sit res ipsa corpus Christi: idem, inquam, identitate  
quadam, non reali, sed rationis & conuenientie essen-  
tia-*



*tialis, qualis est inter substantias diversarum specierum aut generum. Dicunt se non intelligere qua differunt. Ipsorum inscitia est culpa.*

Hæc iste miris verborum involucris & præstigiis proferens, à nobis ramen subinde efflagitat ut verborum vtitata & communi notione sententiam nostram explicemus. Sed primum quæritur, An verbis Christi, *accipite, & manducate, Hoc est corpus meum*, significetur, Corpus & sanguinè eius Contineri & Inexistere sub natis accidentibus panis, quod falsissimum esse, ut est à nostris demonstratum, facile quidem intelligunt isti, sed præ ingenij prauitate recusant agnoscere. Verba hæc igitur Gregorij peruersam petitionem Principij continent. Deinde quum isti sic interpretantur pronomen Hoc, id est sub his signis & accidentibus est corpus meum: necessariò Tropum, à quo tamen frustra volunt videri alieni, eumque absurdissimum & alienissimum constituunt. Itaque neque τὸ πρῶτον, neque τὸ δεύτερον verborum Christi retinent, sed sensum imprimis corrumpunt, & verba ipsa peruertunt.

Primum igitur demonstrandū est, interpretationem istorum qui Inexistentiā realem corporis Christi in sacris sigillis obtrudunt, prorsus aduersari verbis Domini. Nam si istorum interpretationibus credatur: Hoc, in illa Domini enuntiatione designaret, non ipsum Panem, sed Panis accidentia, quæ ab ipsis species dicuntur: vel illa particula Hoc, illis significat in hoc sub hoc: atq; adeo propositio inuertitur, ut Subiectū mutetur in Attributū, & de Attributo fiat Subiectū, Hoc est corpus meum, inquit isti, significat

*Explicatio verborum Hoc est corpus meum. ex ipso institutionis contextu desumpta.*

*Primum fundamentum.*

corpus meum subest vel inest in hoc. Vocabulū verò *Est* ipsis significat, Inest, Trāsubstantiatur, subest: vocabulum etiam Corpus, non verū Christi corpus naturale, sed incircunscriptum & immensum & inuisibile corpus ipsis designat, quod sit, ore corporis humani, sicuti species Panis in sacramento manducandum.

*Fundamentū 2.*

Praua igitur istorum interpretatio verbi Domini vim afferens eaque in alienum sensum detorquens vel ex hoc fundamento refellitur: Dominus vocat panem corpus suum, & vinum sanguinem suum. Nam pronomen *Hoc* proculdubio refertur ad rem illam quam Evangelistae docent, Christum manibus accepisse, benedixisse & fregisse. Idem post benedictionē quam vulgò Consecrationē vocant, quater vel quinque

Matt. 26.

I. Cor. 11.

1. Cor. 10.

lib. 12. c.

58.

lib. 4. in

Ioan. ca.

14.

In Try-

phone.

In Apo-

loget.

De Coe-

na Domi-

ni.

dicitur esse Panis, vt, *vinum* dicitur esse *de genere vitis*. *Quoties manducabitis Panem hunc*. Ibi. *Quicumque manducauerit hunc panem*. Ibi. *Prober seipsum homo, & sic de pane illo edat*. Et, *Panis quem frangimus, vōne communicatio corporis Christi est?*

Id veteres Theologi vno consensu aperte docēt.

Cyrillus. *fractum panem distribuebat suis discipulis*

*dicens hoc est corpus meum*. Idem. *Discipulis Dominus fragmenta Panis dedit in S. Coena*. Iustinus Mar-

tyr. *Christus nobis dedit Panem in recordationē Incarnationis suae*. Idem. *Nos Christiani summiu hanc*

*Panem non vt communem*. Cyprianus. *Dominus panem de multorum granorum adunatione congestum,*

*corpus suum vocat, vinum appellat suum sanguinem*

*de botris expressum*. Tertullianus. *Panem suum corpus appellat*. Ex concilio Nicæno. *Ne humiliter*

*simus attenti ad propositum panem & vinum suum*

cor-

*corda ad Dominum.* Atque ut orthodoxam exi- *Fidem. 3.*  
 plo contextu pluribus depromamus de Trinam  
 obseruandum est hanc Enuntiationem. *Accipi-*  
*te, comedite, Hoc est corpus meum,* esse vnâ *ouo* *des-*  
*mu,* quæ duo proponit: Panem, & corpus Christi:  
 Alteram verò ei correspondentem: *Hic calix est*  
*nouum Testamentum in meo sanguine,* esse Enun-  
 tiationem quæ seorsim duo etiã proponit ne-  
 pe, vinum & sanguinem Christi. Non sunt igitur  
 illa confundenda & miscenda, ut statuit Con-  
 comitantia Pontificiorum, Transubstantiatio &  
 Consubstantiatio.

Nã Panis non est sanguis Christi: nec est san-  
 guis Christi in specie panis. Rursus, vinum non  
 est corpus Christi: nec corpus Christi est in spe-  
 cie vini. Præterea panis ex farina factus, & vinũ  
 ex racemis, quæ sunt res inanimatæ, nunquam  
 à quoquam pio dicuntur esse ipsa ipsam Domi-  
 ni nostri Corpus. Atqui Euangeliistæ & Aposto-  
 lus narrantes Institutionem S. Cœnæ Domini,  
 nihil de Accidentibus panis & vini dicunt: nihil  
 etiã de Inexistentiâ corporis & sanguinis Do-  
 mini in illis Signis indicant. Sed de pane dicunt,  
 corpus Christi esse, & vinum ipsius sanguinem:  
 hoc nimirum sensu qui ab ipsis euidenter ibi sic  
 explicatur.

Panis eo dem modo dicitur esse corpus Chri- *Fidem. 4.*  
 sti: quo Vinum dicitur esse eius sanguis. At qui in  
 Institutione, Dominus dicit, Vinum esse Nouum  
 Testamentum in suo sanguine. Sic igitur quo-  
 que dicit Panem esse nouum Testamentũ in suo  
 Corpore: nempe fœderis Sacramentum id quod  
 Apostolus ad Rom. 4. vocat Signum & sigillum.



- Fūdam. 5.* Vt fractio panis dicitur esse in Institutione S. Cœnæ, fractio corporis Christi: & Vini effusio, dicitur sanguinis Christi effusio. Ita & Panis dicitur esse corpus Christi: & vinum eius sanguis. Id quod euidetissima necessitate efficitur: Atqui expressis verbis in institutione S. Cœnæ, fractio panis & vini effusio dicitur esse Commemoratio mortis Domini & effusionis sanguinis eius pro nobis. Ergo Panis ille, & vinum illud sunt vera Commemoratio corporis & sanguinis Domini.
- Fūdam. 6.* Apostolus interpres est verborum Domini, illa sic explicans: Calix benedictionis cui benedicimus: nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne est *uerba* *via*, hoc est communicatio corporis Christi?
- Fūdam. 7.* Christus in ipsa Institutione dicit *facite hoc in meam commemorationem, & quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: morrem Domini annuntiabitis, donec ueniat.* Non igitur inest vel subest, aut continetur ibi.
- Fūdam. 8.* Dominus proponit Corpus suum communicandum quatenus est pro nobis passum. Nos igitur reuocat ad veritatem humanę suę naturę, & ad corpus suum physicū & naturale. De quo id quod est ipse dicit, *Videte manus meas & pedes? Contrectate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* At Glorificatio, inquit August. non abstulit eius Naturam, quam qui cum ipsius Diuina natura confundit Incarnationis Domini nostri mysterium non agnoscunt. Eutychiani autē illi sunt (vt veteres Christiani Doctores ex Dei verbo demonstrant) qui pro-

proprietates Naturæ humanæ Domini ipsamq; conuertunt in Diuinam, quiq; statuunt Domini corpus simul eodem momento in omnibus Sacramento sacris Sigillis inexistere. Sic enim statuitur corpus Christi incircunscriptum, mole infinitum atque vbiq; diffusum, quod est Deitatis solius proprium. Illi igitur vnicam Naturam Diuinam in vna Domini persona agnoscunt: vel potius duas Personas in Christo & vnicam Naturam esse peruerfissimè tradunt. *Cauendum est*, inquit Augustin. *ne uia diuinitatem astruamus Dominum, ut veritatem corporis eius auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit vbiq; ut Deus.* Præterea spes nostra tota in eo sita est, quod finas conformes ipsi, quod sit frater noster & os ex ossibus nostris: alioqui uò esset Mediator ille qui propter nos se exinanauit, ita ut formam serui assumeret, nobis factus per omnia similis excepto peccato. Ex quibus colligitur hanc controuersiam circa præcipuum fundamentum fidei nostræ vertari.

Verba quoque Domini euertunt apertè commenta de Reali Inexistencia sub signis sacris, quæ ait, *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere, si vobis dixerint ecce est in deserto, ecce in conclauihus, nolite credere.* Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet vsque in occidentem, ita etiam erit aduentus filij hominis. Sic euanescent istorum distinctiones de corpore Christi Inuisibili. Sacramentorum definitio, Analogia, causa fi-

Fund.9.

Fund.10.

gnum & Signatum quæ sunt duæ substantiæ. Nã maior est affinitas inter substantiam & substantiam, quam inter accidens & substantiam. Signum igitur à Domino institutum ex substantia desumptum, & res significata atque obli gnata sunt re ipsa res diuersæ, quæ non misceri possunt vt tertiam constituant quandam Essentiam aut totum aliquod Essentiale vnum ex his conflatum. Deus autem in Sacramenti institutione non euertit rerum illarum naturas. Mutatio igitur in Signis illis, sacris ex fine desumitur & vsu, non ex essentia ipsorum deperditione. Finis autem & vsus illorum est, vt non tanquam res cõmunes accipiantur, sed ad vsum prorsus diuersum referantur, nempe vt confirmet animis nostris Euangelij promissiones, illasque in corpore nostro obtingent, nos denique totos ad spem cœlestem corroborent. Ita Christus cum sacris illis signis & obli gnaculis non coniungitur, sed nobiscum: Illa Christum ad se non reuocant, sed nos ad Christum deducunt: Quod si Christus in illis existeret, iam frueremur hic illa felicitate quam speramus cum erimus cum Domino nostro. Docet vetus formula, Sursum corda, desumpta ab Coloss. 3. Apostolo. *Quæ sursum sunt, queris, ubi Christus est.* Philip. 3. *Conuersatio nostra in cœlis est: vnde etiam Saluatorem expectamus.*

*Fund. 1.* Sacramentorum eadem est ratio, vt docet, Apost. 1. Cor. cap. 10. & cap. 11. & Rom. 4. quorum hoc est proprium, non novos fidei Articulos constituere, sed Articulos fidei & promissiones Euangelij confirmare. At in omnibus Sacramentis vsitata est locutio, maximè propria & idonea,



nea, nimirum vt rei significata nomen tribuatur Signo, vt Circuncisio dicitur esse foedus, Petra est Christus: Eo pacto Christus de Pane dicit suū esse Corpus: & vicissim apud Ioannem, carnem suam siue Corpus suum dicit esse panem: commutatis nominibus, vt loquantur veteres Christiani Doctores.

Sicut Aqua Baptismi est sacramentum Ablutionis per sanguinem Christi. Ita panis & vinum in S. Cœna sunt sacramentum Alimonie in corpore & sanguine Domini: de qua re supra. Nam Baptismi efficacia & promissio ei annexa non minor est quam S. Cœnae. *Fund. 12.*

Coniunctio nostra cum Christo euerit istorū, de orali manducatione corporis Christi & inexistencia eius in sigillis reali, non tolerandam doctrinam: sigillis ea tribuentem quæ soli Christo conueniunt atque manifestam idololatriam inuehentem: quam hæc perfectissima demonstratio conuellit. *Fund. 13.*

Quicumque habent vitam æternā, inquit Dominus Ioan. 6. manducant carnem Christi. Soli fideles habent vitam, Ioan. 6. 40. Rom. 8. Soli fideles igitur manducant carnem Christi. Hic Syllogismus continet demonstrationem suis legibus perfectissimè absolutam, quam nullis argumentis euerit Pseudotheologi: cui respondet Negata hæc demonstratio. *Demonstratio.*

Quicumque manducant carnem Christi, habent vitam æternā, Ioan. 6. verbis expressis. Nulli infideles, quantumuis Sacra signa in Sacramētis participant, habent vitam æternam, Ioan. 3. 18.

Nulli igitur infideles, quantumuis Sacra signa

participent, manducant carnem Christi, August.

Tract. 26. *De mensa Domini sumitur, quibusdam ad vitam,*

in Ioan.

Tract. 27. *quibusdam ad exitum. Res verò ipsa cuius est Sacra-*

in Ioan.

*mentum, omni homini ad vitam, nulli ad exitum, qui-*

*cunque eius particeps fuerit. Ille cibus immortales &*

*incorruptibiles facit. Nec respondent matæologi,*

*Dominus, in Ioan. 6 non loqui de S. Cœna. Nam*

*ibi præparat discipulos suos ad Manducatio-*

*nem, ne putarent ipsum erogaturum iis corpus*

*suum, dixit se ascensurum in cœlum: ne moribus*

*existimarent ipsum sumi, inquit idem Aug.*

*Ut verbi divini minister est instrumentum ad*

Fund. 14.

*res sensibus perceptibiles administrandas, nec*

*tamen Spiritus S. suam vim & efficaciam in illum*

*transfert, sed ipsemet res salutiferas exhibet. Ita*

*etiam res salutifera nempe cœpus Christi, in Si-*

*gna visibilia non transfunditur, nec ipsa in cor-*

*pus Christi realiter siue reipsa mutantur; ut in-*

*frâ amplius explicabimus.*

*Ex his efficitur Argumentû adamantino vin-*

*culo connexum, quod dirumpit omnes istorû*

*omniû fatiles imaginationes de Individuo, va-*

*go: de Identica propositione in his verbis, hoc est*

*corpus meum: & de tertio quodam, quod neque*

*est panis neque corpus, neque vinum neque san-*

*guis, & similibus commentis, quæ Evangelista-*

*rum, Apostoli, ipsiûque Domini verbis, vim fac-*

*ciunt, eaque evidentissimè pervertunt.*

*Nam si dicant isti, Christu iam accipit e, edite, certè renû-*

*tiant omnibus suis argumentis, quibus Christum*

*conantur probare (ut suum dogma de Transub-*

*stantiatione stabiliant) verbis istis, Hoc est corpus*

*meum*

*mem*, panem in ipsum corpus commutasse, ut sub specie panis e cistens contineretur. E contrario constitutendum esset illam transsubstantiationem & inexistenciam in non fuisse factam, antequam illa verba, *Hoc est corpus meum*, pronuntiarentur. Quibus igitur Christi verbis illa fuerit effecta? Nam si particula *Hoc*, demonstrat etiam corporis Christi substantiam, ut contenta illis speciebus, iam erat confecta transsubstantiatio.

Si dicant illud vocabulum *Hoc*, nec de Pane dici, nec de corpore Christi, sed de tertio quodam ex utroque confecto, Ego Christus nec panem nec corpus suum dedit, sed tertium quiddam, quod neque sit corpus neque panis: quod est absurdum: Aut ex corpore Christi, & ex specie panis (horrendum dicta) hoc est, x re Inanimata & corpore Christi, fieret unum *οὐ βέλῳ & ὁπίσ' ἡμῶν* & tanquam una Persona: quod monstrum dogmatis omnes pij auerfantur.

Qui autem idem dicunt, hæc verba, *Hoc est corpus meum*: Identicam Enuntiationem esse, se ipsos refellunt, ut qui dicunt pronomen, *Hoc*, nondam substantiam non demonstrare. Sed vi contentam subaccidentibus, aut designare Individuum vagum: nec est de nec formaliter denotare peculiarem rationem panis & corporis Christi. Hæ sunt enim præclara, scilicet, eorum explicaciones: Nam hæc istius interpretatio dicitur *εἰς τὸ δὲ ἰσχυρῶς* in initio Enuntiationis, & in fine unam: nempe corpus Christi: non est igitur Identica. Idem statuendum est de Individuo vago, quod quidem aliquid confusum, indeterminatum, indeterminatum, & indistinctum proponit. At Christus non dabat Panem eiusmodi:



sed verum Individuum *totum* reipsa existens: & certè Christi corpus non est aliquid vagum, indeterminate, aut confusum, nec illa duo sunt aliqua natura communis. Ergo illa Enuntiatio Christi, *hoc est corpus meum*, nequaquam est deus Individuo vago. Nec est etiam Idetica. Nam Enuntiatio Idetica ea est qua idem de seipso dicitur, atque unitus est essentialis, formalis & realis Terminorū illius Enuntiationis: ita ut eius Subiectum & prædicatum sint unam ac idem ad *diversa* essentialiter, numero & definitione, sive ut loquuntur in schola, *τὸ ἴδιον, τὸ ἴδιον* & *τὸ ἴδιον*, Essentialiter, formaliter, & realiter. Idem Enuntiatio Idetica locum tantum habet quem affirmatur ipsum esse ipsum: ut quem dicitur, Deus est Deus. Ego sum qui sum. Si igitur propositio Idetica haberet locum in his Christi verbis: *Hoc est corpus meum*, Christus diceret discipulis suis, *hoc est corpus hoc meum*, est verum hoc corpus meum. Ita omnia quæ ibi extant de vno ac solo Christi corpore dicerentur: atque sic nullū esset signum visibile.

Sed dicit iste, *Ideticam quidem esse Enuntiationem, sed identitatem esse realem*. Hæc igitur evertunt quæ dixit nimirum pronomen *Hoc*, non aliud demonstrare in fine & initio illius Enuntiationis: nec possunt stare cum istis ipsius verbis: *Idem quod ante a fuit panis, postea in fine Enuntiationis esse verissime & identicè corpus Christi*: Nam illud *Idem* initio Enuntiationis non esset panis, nec corpus: ac proinde nihil designaret: taneum abest ut illud *Idem* sit sibi idem & secum conveniens. Sed confugit iste ad *Identitatem rationis*: Atqui non est

est Identica Propositio, si Termini res diuersas denotent: de quibus vnum idēque affirmare & dici nequeat. Hic autem agitur de rebus quæ verè extra mentem existunt & de veris rerū essentiis, quantum vna de alia prædicatur. Præterea illud quod dicitur esse Idē λόγος siue ratione, definitionem rei designat, quæ cōuertitur cum Definito, quæ plus etiam est quàm vnitas essentialis: ad eò vt quæcunque sunt Idem λόγος, ratione & definitione, multò magis sint etiã idem numero & essentia. Quod autem iste subiungit esse *Identitatem conuenientie*: hoc si referat ad Analogiam quæ est inter panē & Christi corpus, quia Signa debent habere conuenientiã, cum re quã designant, vt docet Augustinus multis in locis: itēque quòd sicut panis est substantia nutriens corpus nostrum ad hanc vitã, itã Christi corpus alit animam nostram ad vitam æternam: rectè id quidem: sed hoc planè euertit Transubstantiationem. Quòd verò iste tandem addit *de conuenientia inter substantias diuersarum specierum aut generum*: de substantiis primis tantum inter se potest intelligi: de quibus hic agitur. Ergo hic Substantia vna vera de altera in hoc Christi Enuntiatò dicitur ac prædicatur.

Si fatentur (vt vi veritatis coguntur) Christum de pane quem acceperat, dixisse *Accipite, comedite*. Deinde seorsum de vino quod in poculo acceperat dixisse *accipite bibite ex hoc omnes*, certè agnoscant quoque necesse est, sicut hæc verba, *Hoc est corpus meum*, referuntur seorsum ad panem quem Christus dabat: ita hæc verba, *Hoc est sanguis novi Testamenti*, &c. referri etiam seorsum ad

vinum quo I. Christus bibendum. discipulis dabat: ut nimirum panis sit corpus Christi Sacramentaliter: & vinum, Sanguis Christi Sacramentaliter. Itaque Signo Sigillo, nemp. Panis, uo nemp. rei designata nemp. corporis Christi, loquendi modo in Sacramentis receptissimo, proprio & vltimatissimo à Domino tribuitur, qui etiam dicitur apud Ioannem: *Panem quem ego dabo vobis caro mea est. Si quis manducet ex hoc pane non morietur.* Ac Panis ex farina factus non ipsa est caro Domini: nec vinum est ipsius sanguis: multò minus eorum Accidètia, de quibus Dominus nihil dixit. Ergo illud quod dicimus nihil aliud est quàm id dicere quod Tertull. adu. Marci. l. 1. & l. 4. dixit, *Panem esse figuram corporis Christi:* & id quod Ambros. l. 4. de Sac. *Significare corpus Christi:* id quod Basilios & Theodoretus dicunt esse à veritate corporis & sanguinis Christi. Et Iustinus Martyr, *Panem Christus nobis tradidit in commemorationem Corporis sui:* in serm. *cap. 17.* ad Græcos. Id quod denique Augustinus dixit contra Adimantum: *Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, quia n. figuram daret corporis sui.* Et in Epist. 23. *Secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est. Sacramentum Sanguinis, Sanguis Christi est.* Et de conf. dist. 2. *Panis suo modo vocatur corpus Christi, quia reuera sit Sacramentum corporis Christi.* Sic igitur euanescit dogma de Transsubstantiatione & de Inexistentia Reali: ac proinde de Orali manducatione corporis Christi. Videant igitur omnes quàm absurdum sit istorum interpretatio: *Hoc* (id est, inquit Manichi, substantia corporis Christi, sine propriis



pris suis accidentibus & dimensionibus: & Accidentia Panis (sine substantia) est corpus meum. Dicant autem: an eodē modo manducentur Signa, quo manducatur corpus Christi. Rursus, Signa manducantur, quatenus imponuntur ori, teruntur dentibus, deiciuntur in ventrē. Nam ipsius Domini verba sunt, Matth. 15. 17. *Quicquid in os ingreditur, in ventrem delabitur.* At illi volunt, Corpus manducari, vt contentū illis accidentibus. Ergo fateantur necesse est: corpus Christi imponi ori, dentibus verē atteri, & in ventrē deijci. En quōd euadant: quid criminis statuāt, in quos absurditatis laqueos sese inuoluāt, qui dogma de Transubstantiatione, de reali Inexistētia, & de Orali manducatione corporis ipsius Christi statuunt. Adhuc iste hāc explicationem, *Christus etiam illa accidentia voluit ore corporis percipi* ridiculam & ineptam. Etsi enim panis nō sumitur ore suis accidentibus, destitutus: tamē color certē & figura panis rotunda, nō ore, sed visu, vt & albedo, percipitur: sapor autē gustu, nec vllō istorū nutritur corpus. Analogia autē signorū in S. Domini Cœna posita est in collatione viuificæ virtutis, qua metaphorico vocab. Anima dicitur nutriri, vt corporali nutritione quā ex pane corpus percipit.

*Mirifici Dialectici sunt Calvinisti, qui ita concludunt: Modus percipiendi Christum est spiritualis, vt patet Ioann. 6. Ergo est spiritualis modo Calvinistico.* At tu Gregori, non mirificē sed ineptissimē aduersus nos colligis, dum alium modum spirituale excogitare studes quā fuerit à Christo propositus: nec ad locum Ioannis tibi obiectam respondes. Orale igitur Christi

Gregorius obliquē oppugnat locum. Ioan. 6.

corporis manducationem, ex illo Ioannis loco  
 firmissimè ac verissimè repudiamus. Modus au-  
 tem percipiendi Christum, etiam vt cogeris a-  
 gnoscere, est spiritualis: ergo nō est oralis, quoniam  
 modus oralis & manducatio oralis non sit spiri-  
 tualis, sicut os corporis non est spiritus. Obser-  
 uet etiam lector istū repudiato vocabulo, *Man-  
 ducandi* à Christo usurpato, vt verbo *Percipiendi*  
 vt fallaciam & absurditatem sui dogmatis trans-  
 mutatione illa vocabulorum peruersa, occul-  
 tet: conuictus nimirū à natura & ratione Man-  
 ducationis. Locus a. Ioan. 6. euertit comētum de  
 Corporali Manducatione. Nam expressè docet,  
 quomodo sit caro Christi manducanda.

*Christi corpus, inquit, vnitur cum Animis Impio-  
 rum per Indistantiam: sed non spiritualiter cum iis  
 vnitur, sed solum Sacramentaliter. Quenam verò  
 sunt hęc verborum præstigię: Christi corpus vniri  
 tūne cum animis, & tamen non spiritualiter  
 vniri per Indistantiam quam profers. nonne  
 corporaliter vniri? Corporaliter verò vniri est  
 ne spiritualiter vniri? Nam autē Anima edit cor-  
 pus Christi Sacramentaliter? Nam certè ederet  
 ipsa quoque signa visibilia. Quibus igitur in lo-  
 cis tam absurdam Philosophiā & falsam Theo-  
 logiam dediscendam didicisti? Dicam igitur  
 Corporeum os nostrum Sacramentaliter edere  
 corpus Christi, quoniam edunt sacra eius signa, quod  
 potest esse hypocritis & infidelibus cum pijs &  
 fidelibus commune: sed Animā solam Spiritua-  
 liter edere corpus Christi, ore suo fidelibus solis  
 proprio, nempe fide. Itaque Infideles nunquam  
 Spiritualiter edunt corpus Christi, quando sunt  
 infideles.*

Infideles. Indistantia autem nulla potest queri in *Circūstan-  
tia loci nō  
spectatur  
in hoc S.  
mysterio.*  
spirituali perceptione Christi, quoniam Locus  
nunquā venit in definitionē & rationē huius ve-  
rissimæ spiritualis perceptionis seu cōiunctionis.

Si non tanta esset istorum inscitia, facilē animad-  
uerterent nos, Transsubstantiari, &c. explicare & in-  
telligere per vsitatas notiones, quæ his & aliis huius-  
modi vocabulis subsunt: putā, corporis, substantiæ, lo-  
ci, visibilis, circumscriptionis. Dicit addere hæc  
quæ dixit pag. 77. Ego non circumscriptionem, sed po-  
tentiam quandam ad circumscriptionem transcenden-  
talem & intimam esse corporis dixeram. Addat quæ  
pag. 29. Nus minime dicimus, Corpus Christi esse de-  
finitivē in vna Eucharistia sicut Anima est definitivē  
in vno corpore. Hæc scilicet sūt istorum commu-  
nes vocabulorum notiones. Obiicit nihilomi-  
nus. At isti per nullam vsitatum notionem vocabuli  
Vnionis seu Coniunctionis, explicare vllō modo pos-  
sunt, quod Christi corpus verè secundum se uniat  
cum animis communicantium, si substantialiter non  
sit presens in Sacramento.

Primum ista repugnant iis quæ iste paulò an-  
tè dicebat: nimirum: nos posse percipere ipsum Chri-  
sti corpus extra Sacramentum: Animam nostrā posse  
per fidem corpus Christi etiam ut in celo existens,  
manducare. Hæc enim sunt ipsissima istius verba.

Porro si orthodoxorum, hoc est, Doctorum no-  
ctorum scripta diligenter iste legisset, ab ista in-  
sultatione abstineret: sed non intelligit dogma  
sibi ipsi Cōtradictorium & repugnans (cuiusmo-  
di est dogma Transsubstantiationis) nulla voca-  
bulorum notione communi, ex S. quidem Dei  
verbo deprompta, posse explicari. Nos verò in  
*Comunes  
vocab.no-  
tiones.*



mysterio Cœnæ Domini explicando, ut in uocabulis in S. Script. uiratis: nempe coniunctionis spiritualis, fidei, efficacitatis Spiritus S. quæ uis Mysteria, quæ ne mente quidem comprehendendi possunt, nunquam satis possint à nobis uerbis idoneis exprimi.

Cedò verò quænam possint illa notionem habere quæ repugnantiam in sele continent: Hinc illa, corpus Christi incircumscripsum: Manducatio oralis & corporalis, quæ est inuisibilis & spiritualis: Panis sine substantia: & lexena ad genus: Perinde enim est, ac si dicerent: corpus non corpus: panis non panis: oralis non oralis: uisibilis non uisibilis, Subiectum sine suis proprietatibus essentialibus: Accidens non uerum accidens: corpus locale, non tamen locale: Sacramentum non Sacramentum: quæ Repugantiæ apertissime contradictoriæ ab istis introductæ, nunquam poterunt ullis unquam distinctionibus tegi nec dilui. Nam Distinctiones & Respectus in re fundantur, non rem ipsam efficiunt: tātum abest ut rem possint tollere aut eius proprietates conuerrere.

Est etiam in uerbis istius fallacia, cum calumnia coniuncta, quum ait: *si substantialiter corpus Christi non sit præsens in Sacramento.* Nam Sacramenti vox interdum pro Signo uisibili: interdum pro tota actione tum interna tum externa sumitur. Illo modo corpus Christi non est in signo localiter & corporaliter præsens: hoc modo est reualiter & substantialiter in Sacramento legitimo uerum præsens: præsentia spirituali non locali: quia præsentia spiritualis neque localitatem, neque pro-

propinquum aut remotum situm, neque corpoream coniunctionem spectat. Et quod iste dicit de Vnionem corporis Christi secundum se cum animis nostris, quatenus est in Eucharistia præfatis, nulla vnquam vocabulorum notione explicabit. Ellet enim vnio corporis Christi cum corpore nostro: ac proinde corporalis, nec ellet propterea cum animis nostris vnio. Corporalis enim Vnio, non constituit vnquam Vnionem realem substantiatum cum anima. Sed de coniunctione nostra cum Christo plura etiam infra differemus. *Secundum se*, etiam ab isto ambigè usurpatur.

*In questione de vnione Christi nobiscum, non nisi effecta quæ Christus in nobis facit inhi commemoranda sunt, inquit Gregorius, Nemo enim si Genesios istos candidatos, excipias tam stupidus est ut potes, actum obedientia & eiusmodi quæ fuerunt in solo Christo non in nobis, esse nexum, quo is cum anima nostris vnatur.*

In Vnionem nostram cum Christo, non tantum commemoranda sunt effecta quæ Christus in nobis facit: sed imprimis ea sunt nobis proferenda quæ Dominus noster Iesus Christus præstitit pro nobis, & ea quæ sunt & fuerunt in illo solo, & quæ non sunt in nobis: sed nobis imputantur, hæc per imputationem nobis donantur. Et hic est primarius error Pontificiorum, & Anabaptistarum in Article de Iustificatione, quod sola beneficia quæ intra nos creantur considerent: beneficia verò Christi nobis ad salutem adipiscendam Imparata, ex tali errore omittant.

Duplicia igitur beneficia in nostra cum Chi

*Beneficia  
& Merita  
Christi.*

sto coniunctione & vnione ad nos perueniant. Primum eius Obedientia & Satisfactio ab eo pro nobis in cruce præstita, qua tum perfecte Legem diuinam pro nobis impleuit, tum penas peccatis nostris debitas luit: item absolutissima ipsius Sanctimonia qua in eo sistitur irreprehensibiles, & sanctissimi coram Deo: quæ tria, nomine Iustitiæ Christi & Meritorum Christi ab orthodoxis Theologis comprehenduntur, quæ quidem credentibus Imputantur, nec tamè intra nos subiectiue inhaerent, sed nostra sunt donationis iure, vt in hac Imputatione posita sit nostra coram Deo gratuita Iustificatio & salus: quoniam videlicet Spiritus S. tum Christum ipsum, tum illa ipsius beneficia & merita nobis applicat (quomodo enim cum ipso nobis omnia non donaret?) fide in nobis creata, cuius hæc vis est vt Christum vnà cum illis Meritis apprehendamus, recipiamus & amplectamur.

Sed & alia præstantissima Christus fide apprehensus in nos confert: nempe Mortificationem veteris Adami, & noui hominis Vniuationem, quæ beneficia sunt in nobis, & vulgò Spiritus inhabitantis, charitatis, sanctificationis, Iustitiæ denique inhaerentis vocabulis designantur: quæ quidem non sunt causæ Iustificationis nostræ coram Deo: sed sunt eius consequentia, quibus nobis via ad illam æternam felicitatē fit inuita, nobis Legem Dei habentibus pro scopo, vt ex eius præscripto per bona opera ambulemus.

Hæc verò duplicia beneficia, vt imprimis nostra cum ipso Christo spiritualis & ætelligima coniunctio, tum in Baptismo, tum in S. Cœna in nobis



nobis obſignantur & confirmantur, Nam illa Sa-  
 cramenta obſignant in nobis, magis magisque  
 nos reddunt certiores, Iuſtitiam illam & illa  
 Chriſti Merita nobis verè imputari, ſiue per im-  
 putationem donari ad Iuſtificationem coram  
 Deo & vitam æternam adipiſcendam: ac fidem  
 charitatè que excitant & confirmant.

At iſte, nondum intelligens quodnam ſit diſ-  
 crimèn Iuſtitia, quæ eſt per Legem, & Iuſtitia  
 quæ eſt in Euàngelio propoſita, atque aded igno-  
 rans quænam ſit noſtra cum Chriſto Coniun-  
 ctio & vnio ſpiritualis, & quæ ſint eius effecta,  
 perpetam & inſcienter nobis imponit, quum  
 ait: nos putare actum obedientia Chriſti eſſe nexum  
 quo Chriſtus cum animis noſtris vnitur: quali non  
 ſenties à noſtris audiuerit, hunc nexum fieri fide  
 per efficacitatem & energiam Spiritus ſancti.

*Dem,* inquit iſte, eſt coniunctus nobiſcum ſecun-  
 dum ſe, & non ſolum per ſuos effectus, nec tamen cor-  
 porali nexu, ſed per indistantiam que non eſt proprie  
 quiddam corporale, quum habeat etiam locum in re-  
 bus pure ſpiritualibus. Per Indistantiam igitur cor-  
 poris Chriſti ſecundum ſe nobiſcum vnitur in ſacramen-  
 to, ſimul per fidem & alios ſpirituales effectus, &c.

Quum agitur de vero Chriſti corpore, quod  
 iſti volunt eſſe præſens in ore communicantis,  
 nonne eſt Indistantia corporalis? At rebus ſpiri-  
 tualibus non conuenit, quæum præſentia non  
 eſt corporalis. Quum autè agitur de vero Chri-  
 ſti corpore cum animis noſtris coniungendo,  
 certè aliud ſpectandum eſt quàm Indistantia cor-  
 poralis, localis & circunſcriptiua, quæ vt ſæpiùs  
 dictum eſt, non efficit coniunctionem ſpiritua-

*Nulla est  
Instantia  
quæ ex re-  
bus diuer-  
sis sumi-  
tur.*

lem. Substantiæ autem spirituales toto genere differunt à corpore Christi & à coniunctione cū ipso. Itaque Entitas illa non pertinet ad hoc argumentum, à quo *Dr. Dg. woor* distat. Et videat iste ne faciat cum Vbiuicistis, qui tales entitates è rebus dissimilibus solent proferte. Nam quod ait de Dei præsentia per indistantiam, & coniunctione secundum se, neque tamen corporali nexu: planè est alienum ab hac quaestione. Loquimur enim de vero Christi corpore, quod quidè non est Deitas, nec spiritualis essentia: ac proinde indistantia in illis diuersissima, nec vna eademque dici debet. Indistantia enim corporis nostri à corpore Christi corporalis, localis & circumscriptiua, nempe sub signis sacramentalibus, ab istis statuitur. Indistantia verò Deitatis, alia est, nec repugnat essentiæ diuinæ: sed Indistantia corporis Christi quam isti proponunt, euerit coniunctionem spiritualement, atque ad eò ipsam naturam veri corporis Christi.

*Gregorius  
efflagita-  
tio.*

*Dicunt candidati Geneu.* (inquit noster Gregorius) *repugnare Esse mysterium & posse formalem causam siue formam cognosci: itaque fatentur se nescire de quibus loquantur, &c. Mysteria quidem secundum suam propriam rationem sunt abduca & incomprehensibilia & inenarrabilia: tamen oportet ea saltem cognosci per aliquas communes notiones vocabulorum, 1. Cor. 2. 12. & c.*

Suprà iam explicatum est quid statuendum esset de istius obiectione in communibus Notionibus. In Indice autè superiore agebatur de accurata cognitione & intima rei natura, ex qua causa formalis est statuenda, vt quid sit Rei non tantum

tantū quid Nominis sciatur. Nec negamus quin S. Script. conuenienter suas omnes causas profert: sed ad formam ipsam huius mysterij accuratamque cognitionem, in hac vita nos non posse petuenire dicimus: quod & iste agnoscit: quum ait mysteria esse inenarrabilia. Neque tamen minus verū est quod ait Paulus nos pro fidei mensura, ea intelligere qua nobis donata sunt.

Addit Gregorius. *Quam Calviniste affirmant esse quandam formam atque unionem Christi corporis secundum se ( licet longissimè distantis ) cum animo communicantis: nec tamen possint ullam communem unionem eiusmodi forma iudicare, ex qua quodnam saltem sit eius unionis genus agnoscere possimus, fatentur. necesse est se sicinim hactenus mysterium verbi in ambus iactasse. Aium Calvinista ( ne cogantur causam formalem sue unionis ostendere ) in rebus Theologicis causam finalem & efficientem nobis esse imprimis propositam. Quero igitur adhuc qua sit causa formalis & nexus Calvinistica illius unionis. Inulsissimum enim est, & fulsissimum. Theorema a Sadeele propositum: Diuinorum mysteriorum qua in S. Script. continetur, explanationem efflagitat ab ipsa Scriptura propositam pro ipsorum causa formalis habendam esse. Nam sepe Scriptura explicat mysteria per causam finalem & efficientem: ut Spiritus S. & virtus aliquid, non sunt cause formales sed efficientes illius conceptionis. Annon est querenda causa formalis mysteriorum quando Scriptura eam non explicat? Damnat igitur Patrum & Conciliorum labores. Vbi in scriptura declaratum est, rationem formalem unionis duarum naturarum in Christo esse secundum subsistentiam, quod in quinta Syno-*

Gregorius  
tio.



de Constantinop. c. 4. & 5. definitur? ubi etiam ratio formalis Personæ, quod scilicet sit rationalis natura individua substantia, sine qua mysterium Trinit. intelligi non potest, in Script. traditur: & c. Verba autem illa Christi, Qui manducat, & c. in me manet, & ego in eo, non explicant qua forma & modo. Explicent igitur mihi per communem aliquam notionem, rationem formalem seu nexum illius Unionis suæ: quod quum Calumnistæ non præstent, manet fictivum illorum mysterium.

DE CAUSA FORMALI coniunctionis  
nostræ cum Christo.

Antequam de causa formali coniunctionis nostræ cum Christo differamus, aliquid dicendum est de hac obiectione: ut omnes qualis sit intelligant.

Ac primum quidem omnes veri Theologi agnoscunt, Testimonia scripturæ S. expressissima, omnino Axiomata esse perfectaque Media quibus Demonstrationes theologice constituuntur: quorum alia pertinent ad Demonstrationem *ōri*: alia ad Demonstrationem *docti*, quæ propriè Causam formalem proferunt. At tamen Mystera Christiana non sunt metienda ex causis formalibus physicis: sed ex unica S. Scriptura, tum Quid sit res, tum per quid, depromendum. Nemo, inquit Augustinus de temp. ser. 145. *credat de Christo, nisi quod de se voluit credi Christus.*

Secundò obseruandum est, istos vrgere causam formalem Unionis cum Christo, ut eam statuunt in præsentia locali, id est orali manducatione, & connexu corporeo. At nos dicimus, Manducationem corporis Christi esse mysticam & spiritualem, quam ex S. Script. *θεοπνευστων* doctores

Ctiores nostri toties explicarunt, vt sine blasphemia dici Calvinistica non possit. Verba igitur Christi: *qui manducat meam carnem in me manet & ego in eo, &c.* non modò non possunt ad Instantiam & oralem Manducationem, quam isti statuunt, referri: verùm è contrario coniunctionem quam asserimus exprimunt. Christus enim his verbis non dicit: Corpus seu caro mea est in Eucharistia: vel Eucharistia est in corpore Christi: neque dicit, Corpus meum est in ore sumentis, vel os sumentis est in corpore meo. Sed expressè dicens Christus se in eo manere, & eum in ipso manere qui manducat eius carnem, & quæ dixi vobis Spiritus & vita sunt, ostendit hanc manducationem & connexionem esse coniunctissimas, & spiritualium id est credentium proprias. Non igitur oralem illam manducationem vel perceptionem profert quam isti statuunt fieri per corporum essentialem contactum & instantiam, quæ communis est & piis & impiis. Locus enim Ioan. 6. omnino docet & explicat modum corporis Domini manducandi.

Tertio non est inter nos controuersum, an veræ causæ formales sicut in theologia tradendæ: nec an S. Scriptura alias etiam causas proferat: vtrunque enim agnoscimus. Quòd si isti attentius tractatus nostrorù euoluissent, agnoscerèt veras causas omnes ab ipsis ex S. Scriptura depromi, & ab iis perspicuè traditæ: ac desinerèt huius mysterij causam formalem à nobis tam insolenter efflagitare. Hoc autem asserimus, sic esse tractanda Theologica, vt Philosophicas formulas in Ecclesiam non facilè inuehamus: qua in re grauitè

est à Scholasticis peccatum. Vult enim Spiritus S. à quibusvis etiam rudibus, suum sermonem, ad eorum captum, vt ex sacris literis apparet, accommodatum intelligi: quod est etiam à vetustis patribus tum Græcis tum Latinis accuratè in his ipsis & Trinitatis & hypostaticæ vnionis mysteriis diligenter obseruatum, quum adhuc sacra vnio explicarentur. Dicimus præterea in iis quæ iste hic profert, neque ab illa Constantino-politana Synodo, neque ab iis qui hypostaticam vnionem, aduersus Nestorianos & Eutychianos orthodoxè definiuerunt, quicquam, si rem ipsam spectemus, dictum, quod ex ipsis sacris Scripturis non desumpserint.

I. Cæterum, hoc demum est inter nostros doctores & istos Monachos controuersum: quoniam in Tractationibus theologicis veras & genuinas causas tum formales tum etiam reliquas ex Dei verbo assignent. Exempli gratia, illam causam formalem nostram cum Christo coniunctionis quam isti tradunt, asserimus nec Theologicam esse, nec philosophicè, vt par est, institutam. Et Theologicam quidem non esse, quoniam ex S. Scriptura non statuitur: quæ minimè docet Deum euertere rerum naturas & proprietates quas ipse instituit: nec docet coniunctionem mysticam & spiritualem cum Christo, ex orali perceptione, indistantia locali & nexu corporeo fieri. Philosophicè verò legitimè non institui: quia causam formalem rei quæ fit spiritualiter in animo, in re dissimillima quaerit, in forma & figura externa: quæ sunt accidentia in quarto qualitatis genere, in quibus nulla vis est agendi per se. Quum autè

*Definitio  
Causa for-  
malis.*

agitur



agitur de rei alicuius forma, siue causa formali, oportet illā ex iis quæ re proximè efficiūt, eiúsque essentiam constituunt, desumi. Nam CAUSA FORMALIS (quæ & Continens dicitur) est intrinseca ratio & nexus internus necessario ac Per se Attributum suo proprio Subiecto connectēs: adeoque Mediam absolutissimum perfectissimę Demonstrationis quæ dicitur *Διότι*, constituens. Cogunt autem nos, non tantum istius Gregorij, sed aliorum etiam multorum obiectiones de illa formali causa in hac de nostra cum Domino vnione & de Sacramentali copulatione, paulò fastiūs differere. Dicebat enim Nebridius apud Augustinum ep. 23. Odisse se de magna quæstione responsionem breuem.

Itaque nobis veniam dabunt æqui Lectores, quod istorum calumniis & vocibus obstreperis coacti, in hoc theologico argumento vocabulorum Philosophicorum, quæ ipsi nobis obiectant, explicationem ex Philosophia paulò exquisitiūs proferamus: non vt mysteria diuina rationi Philosophicæ subiiciamus, aut ex istis illa metiamur (quod absit:) sed vt, istorum calumniis à nobis remotis, vt cunque radioribus consulamus, quibus isti Logodædali possent fucum facere, quasi peritè ac meritò illa nobis obiciant: à quibus hæc in parte non lōgè absunt alij nonnulli, qui quum vident falsas suas Ideas à nostris Doctoribus orthodoxè reiici, ausu temerario dicunt, ipsos ex Theologia causas formales exterminare. Non igitur alienum videri debet, quod ista ex philosophicis placitis diluamus, vt veritatem doctrinæ constantem, cōstanter aduersus

istorum importunas voces magis ac magis retineamus.

Notum est ex disputationibus Galeni, quantum ipse discrepet à Stoicorum sententia de Causa formali, quam illi vocabant *συνεπιτιμιω*: quid contra Auerroes de hac eadē statuatur: quot quantæque sint de illa inter medicos controversiæ. Aliter etiam eam tradit Plato, quem Aristoteles postea refellit. Aliter etiam à Phisicis, aliter à Mathematicis consideratur: aliter etiam in substantiis, aliter in accidentibus & actionibus spectatur. Cur igitur isti tantopere iis succensent, qui in Theologia tradenda, aliter quàm ipsi faciunt, formales Causas considerant, & qui nõ à re quidem ipsa ex S. literis deprompta, sed ab iis formulis abstinent, quæ tot controuersis sunt obnoxia? Satius est igitur ipsa proferre sacra Scripturæ testimonia, quæ mysterium coniunctionis nostræ cum Christo, quæ sola fide percipitur & dignoscitur, planissimè, & notiove vocabulorum vsitatissima, declarant: præsertim quum Apostolus grauissimè præceperit ut *λογομαχίας* vitemus, eorū proprias qui turgent, vanaque scientia sunt inflati. Quinetiam præstantissimi quique Philosophi docent, Vnamquàmque scientiam habere suas causas, suâque principia & Axiomata, quæ non liceat ex alia scientia depromere, nec etiam in aliam transferre: vnde & ait Thomas alicubi, *Vnus cuiusque esse scientia causas suas & genus ipsum considerare*. Sicut enim vnaqueque scientia proprium suum habet Subiectum, & Attributiona sua propria demonstranda: sic etiam causæ, principia & media quibus illa demonstrantur,

tur, in eadem scientia traduntur & ex eadem depromenda sunt. Cedò igitur, cur isti Causam Formalem coniunctionis nostræ cum Christo, cuius mysterium tam magnum esse clamat Apostolus, ex forma quæ in Physicis coniunctionibus & actionibus consideratur metiri cogitant? Veruntamen quum isti non desinant vociferari, ut Causas Formales Coniunctionis cum Christo & Iustificationis fidei proferamus, aliquid illis etiam respondendum est.

2. Causa formalis non vno atque eodem modo in omnibus consideratur, nec semper eadem ratione sumitur. Aliter enim spectatur in Substantiis, aliter in demonstratione Accidentium propriorum, & Effectuum. Nam in Substantiis quæ sunt ex materia & forma constitutæ, spectatur Causa formalis quæ Informas dicitur, & quæ consideratur in primo modo Per se: quæ est pars rei essentialis, Subiecto dans Esse Totum Integrale cõstituens, & ex qua Definitiones substantiarum Essentiales & Quidditates depromuntur: ut quum anima dicitur esse Forma & Causa formalis hominis. Hęc autem Causa formalis in hac nostra quæstione nullum habet locum. Nam neque unio & Coniunctio nostra cum Christo, nec Iustificatio nostra in Christo denotant aliquod Totum *ὅλον* *θεῶν*, aut aliquod *ὑπέροχον*, vel Substantiam aliquam ex duabus Substantiis conflata. Nec etiam sunt hęc quælitates Christi, quæ in Christo sunt tanquam in proprio subiecto inhaerentes, existimandę in nos reipsa transfundi. Nam ut non est Substantiarum Christi & nostræ mixtio statuenda: sic nec etiam Christi



qualitatum cum nostris est confusio & idemitas essentialis existimanda. Id si nonnulli diligentius expendere, Ecclesias turbare deberent.

3. Causa formalis quæ consideratur in Effectis siue propriis accidentibus de suo subiecto demonstrandis, propriè dicitur Causa formalis in secundo modo *æd' æt'*: quando videlicet non substantiæ alicuius & subiecti constitutionem, sed causam per quam & propter quam aliquod Effectum, vel aliquod proprium accidens cuiquam Subiecto tribui necessariò demonstramus, Definitionem Causalem perfectissimam rei demonstrandæ constituens. Sic quærimus quare Soli accidat ut patiatur eclipsin: quare fideles habeant pacem coram Deo: quare morbi vel ingulatio separationem animæ à corpore adferant, & infinita eiusmodi de quibus instituntur Demonstrations: quæ propriè sunt de huiusmodi Attributis, non de Substantiis institutæ. Est autem nobis hoc demùm modo consideranda causa hæc formalis, in hac nobis propolita quæstione.

4. Effecta siue attributa, vel propria accidentia quæ demonstrantur, sunt in genere duplici. Alia enim in secundo modo Per se necessariò in suis propriis subiectis perpetuò inhaerent, & in iis existunt quandiu sunt, simul tempore & reciproce coherentia: quippe quæ à subiectorum suorum formali ratione existant, ad eò ut sine iis nec stare, nec definiri queant, quorum etiam causa formalis ex ipsa subiecti natura & essentia depromitur. Exempli gratia, Habere tres dimensiones, conuenit substantiæ materiatae: ita ut sine  
illa

illa nec definiri nec stare possint: Sic etiam par & impar Numero conueniunt, & Risibilitas homini tribuitur: cuiusmodi sunt etiam attributa quæ in Mathematicis demonstrantur. Alia sunt Effecta siue accidentia quæ extrinsecus certis subiectis attribuuntur, & quæ aliunde iis adueniunt: in quibus nimirum subiectum se habet, non tanquam Agens, ex cuius ratione formali illa proficiscuntur, sed tanquam patiens. Eiusmodi sunt dona & beneficia quæ gratis in aliquem conferuntur: mors & vulneta quæ infliguntur, & quæcunque vulgò dicuntur esse in fieri. In hoc Attributorum siue effectuum genere sunt illa de quibus hîc agimus: nempe Coniungi cum Christo, siue Christum percipere secundum se & secundum effectum, quæ nimirum extrinsecus nobis adueniunt. Hæc igitur effecta & attributa non sunt ita vt superiora demonstranda: nec in iis est similiter forma quaerenda.

5. In illis effectis, attributis vel accidentibus quæ extrinsecus alicui subiecto adueniunt, primum oportet spectare tum subiecti tum effectus siue attributi naturâ. Deinde spectanda est causa proximè agens efficiens & *εὐσπυρίη*. Tertio sunt consideranda Instrumenta à causa efficiente instituta, vt effecta illa præstet. Sic volens Deus liberare populum suum ex Ægypto, Moſen adhibuit: & hîc virga vsus est ad separandas aquas. Denique consideranda est quædam conditio, modus & ratio, qua illud subiectum determinatur siue limitatur in quarto modo κατ' αὐτὸν, vt fiat subiectum δεικνόν, hoc est capax ad illa effecta & attributa recipienda

quæ extrinsecus adueniunt. Certissimum enim est hoc Axioma, & in omnibus scientiis receptissimum: VNVM QVODQVE RECIPERE ID QVOD EI COMMVNICATVR, PER MODVM ET CONDITIONEM CONVENIENTEM: alioqui quidam à quouis reciperetur, nullū nque esset inter subiecta discrimen. Quocirca debet esse inter agentem & patientem certa limitatio, conuenientia & proportio. Hæc autem conditio & hic modus Recipiendi in multis attributis, dicitur (recepto in scholis vocabulo) Causa sine qua non, & Instrumentalis, tū in rebus diuinis, tum etiam in naturalibus: quæ nimirum recipitur & apprehēditur id quod extrinsecus præbetur: quod etiam obseruandū est, ne quisquam in vocabulo causæ Instrumentalis, controuersiam inanem moueat.

6. Quod ad Causam formale Attributorū attinet, in primis obseruandū est id quod docet Aristor. Metaph. 3. quod etiā ibi à Thoma annotatur, nempe, In Actionibus & Generationibus satis esse quum quis proponit causam efficientē proximam, quæ eo nomine Metaph. I. dicitur *ἐπεγγραφα*: ac proinde in ea acquiescendū esse iubet: vt pote quæ demonstrationem perfectam constituat & veram rei causam *διότι*.

Causa formalis ergo (vt homonymias tollamus) in Attributorum siue Affectionum, Actionum, Effectuum & *ἡσ ἀδών*, vt loquantur philosophi, Demōstratione perfecta, dicitur ea quæ satisfacit quæstioni Quare, siue propter quid: propter quam videlicet aliquod effectum Subiecto tribuitur, & propter quā aliquid in Actionibus



nibus necessariò fiat vel habeatur, quæ denique cum suo effectu est reciproca & adæquata. Idèd variis nominibus à Philosophis appellatur: ut *συνεχὴς, συνελικτὸν* (quæ vox à Stoicis promanavit) causa & definitio *δύο*: Coniuncta: efficiens proxima, & similibus.

Ex his intelligitur quæ sit constituenda vera formalis Causa in iis Donis & effectis de quibus hic agitur, nèpe quæ certis hominibus, summo Dei beneficio, attribuuntur, ita ut Christum & secundùm se & secundùm ipsius gratiam & effectum ad salutem æternam recipiant: id est tantum beneficij Causam formalem esse in operatione Agentis cõstituendam, in subiecto verò ipso nempe in homine duntaxat conditionè, & modum siue causam Instrumentalè & vim recipiendi esse spectandam. Sic, si quis det gratis pecuniã pauperi, Causa formalis erit quærèda in donante: In paupere verò est Causa Instrumentalis, siue Causa sine qua non, & vis recipiendi: manus nimirum apta ad recipiendum. Ita si quis beneficio afficit etiam inimicum suum, nõ in inimico recipiente, sed in donante, Causa formalis illius beneficij statuenda est.

7. Quòd autem attinet ad illa Instrumenta quæ à causis efficientibus adhibètur, media sunt ad opus & effectum peragendum, & propter aliud quidpiam instituta: nempe propter finem qui dicitur *ἔννεκα*, qui est eorum vsus, perfectio, ratio formalis, & vera *δύο* causa, ac proinde ex ipso fine sunt definienda. Eiusmodi sunt res illæ omnes ex quibus Signa, tessera, limites, arrhabones & similia cõstituuntur: in quibus nõ sub-

stantiæ rerum illarum spectantur, sed finis propter quem hoc esse dicitur: vel Annulus syngraphæ appositus, sigillum præstat: nõ quatenus est aureus aut rotundus, sed quia ad illum finem destinatus. Id Bernardus serm. i. de Cœna Dom. sic explicat. *Multi sunt propter se tantum: alia vero propter alia designanda, & signa sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum: datur Annulus absolute propter annulum, & nulla est significatio. Datur ad inuestigandum de re aliqua, & Signum est.* Illud igitur propter quod res aliqua est, & per quod definitur, obtinet rationem causæ formalis. At in omnibus Institutis & Sigillis & Signis, finis eorum illud est propter quod & sunt & definiuntur causali vel *à modo* et Definitione. Quod si eo fine destituuntur, nõ amplius id esse dicuntur. Ergo ille finis obtinet rationem causæ formalis. Sic Philosophus ait, *finem rei naturam constituere*: Polit. i. Phys. i. &c. Et Thomas art. 4. q. 1. & art. 43. q. 1. 75. 84. &c. *Finis dat formam in Moralibus*: & *Actus omnes humani ex fine speciem sortiuntur, & formaliter considerantur secundum finem. Formalis ratio est secundum ordinem ad finem.* Et Scotus: *Necessitas eorum que sunt ad finem sumitur à fine.* Vnde perspicuum est Instrumenta à causa efficiëte institui, & à causa finali propter quam sunt definiiri, aded vt in illis nulla alia Causa formalis, præter finalem propter quam sunt, quæri debeat: quando quidem Causa Finalis est ea propter quam omnia illa sunt instituta, & propter quam Actiones esse dicuntur. Ergo causa finalis in illis Demonstrationibus Causam formalem præbet: cuius hoc est proprium, vt propter quid & quare sint

In 4. sent.  
dist. x. q. 5.

sint actiones demonstret: id quod ex Apodicticis præceptis est accuratè tenendum & cognoscendum.

Antequam autem ea quæ dicta sunt ulterius ad præsentem quæstionem accommodentur, breviter nobis videtur explicandum esse, Quid sit Christum secundum se & secundum gratiã percipere: cuius effectus, Causam *id est* siue Formalem tantopere isti efflagitant. Rectè enim movent Philosophi à nobis debere cognosci Quid sit res, priusquam eius Causam *id est* quæramus.

2. Christum percipere secundum se & secundum effectum & gratiam eius (quod est attributum siue effectum cuius Causa formalis hîc est *Dere percepta in Sacram.*) est coniungi & uniri cum Christo, eiusque beneficia percipere, tum in doctrina Evangelij annuntiata & per veram fidem recepta, tum in Sacramentis integrè perceptis: quod est in Sacra Cœna Manducare carnem Christi eiusque sanguinem bibere (sicut toties explicatum est) & in Baptismo, Ineri in Christum, & illum Induere, dicitur. Itaque totum illud beneficium nobis donatum vocatur in Sacra Scriptura Coniunctio vel unio nostra cum Christo seu *κοινωνία*, Applicatio, Perceptio ac Participatio Christi eiusque meritorum; Initio denique & Manducatio, ut iam diximus.

Dicimus igitur in nostra cū Christo coniunctione, duas res nobis donari inter se perpetuò reciprocas *ἀναρίστω*, & arctiùs quàm omnes modi Necessitatis *καθ' αὐτὸ* tradat, indissolubiliter cónexas: nēpe Christū ipsam totū nostrū fieri, itēque omnia ipsius merita vnà cū eo nobis donari



& applicari, ac proinde utrasque res illas semper ac necessariò simul percipi. Sic enim vñitur & cõiungitur nobiscum Christus secundùm se, effectum & gratiam suã, hoc est, sic noster fit Christus & merita Christi nobis donantur, vt nullo pacto vnum ab altero diuelli queat, non magis quam Sol à sua luce, lumine, & calore: hoc est nõ magis quàm Causa *ουτως*, *διότι* & Formalis à suo effectu reciproco & adæquato separari. Nam hi & consimiles loci hoc quod præcipuè est in tota hac coniunctiõne obseruandum necessariò euincunt, Ioan. 1. 12. *Quotquot eum acceperunt dedit eis hanc dignitatem vt Filij Dei fierent. Vtiam habet quicumque Filium habet. Qui non habet Filium Dei vitam non habet, Rom. 8. Quomodo cum eo nobis non omnia donare?* Ioan. 6. *Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo, & is, habet vitam æternam: nunquam morietur. Nisi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam, Rom. 8. Conuiscificauit nos in Christo.* Ergo septem illa Axiomata & similia quæ in S. Scriptura traduntur, omni demonstratione maiora, perfectissimè & absolutissimè, sine vlla limitatione aut exceptione, demonstrat: Coniunctiõnem cum Christo secundùm se, semper & indissolubiliter, coniunctiõnem secundùm effectum & gratiam continere, idque tum in doctrina Euangelij, tum in Sacramētis legitimè vsurpatis, adeò vt non possit verè definiri, Quid sit Christum percipere secundùm effectum, nisi per & propter perceptionem Christi secundùm se: omnibus videlicet Terminis ita Reciprocis, vt mutua, absoluta, & simplex sit eorum inter se

con-

consecutio & ἀκολούθησις, & ita coherētib; in-  
 dissolubili nexu, vt vnum tolli non possit quin  
 alterum corruat & destruat. Hæc enim percep-  
 tio est illius effectus causa verè formalis in se-  
 cundo modo καὶ αὐτῷ. Certè nō potest illa quis-  
 quam negare, quin Contradictoriè, & blasphemè  
 repugnet testimoniis illis ex S. Scriptura ci-  
 tatis, & Axiomatibus illis in Theologia irrefra-  
 gabilibus: quod tamen fit ab iis qui nimirum has  
 propositiones nefarias ex diametro repugnan-  
 tes tuentur. Quidam Filij Dei fiunt, qui Filium  
 Dei non acceperunt (quod isti de veteribus Pa-  
 triarchis dicunt.) Item istas: Cum Christo non  
 omnia nobis donantur: &, Quidam edunt car-  
 nem Cristi & bibunt eius sanguinem, qui tamen  
 in eo non manent, nec vitam habent, sed morien-  
 tur in æternum. Et propositiones consimiles  
 quas isti (horrendum dictu) impiè, contra illa Fi-  
 lij Dei verba & promissiones, hominibus incul-  
 cant.

Cæterùm Merita & beneficia Christi designā-  
 tur, quæ dicimur vniri secundum gratiam &  
 effectum: quorum quædam considerantur in  
 Christo ipso sita & in hærentia: vt puritas, san-  
 ctimonia eius perfecta, & vis ipsa immortalita-  
 tis. Quædã autem sunt quidẽ Christi: sed ei sub-  
 iectiue amplius non sunt in hærentia, vt Obe-  
 dientia ipsius, in suis pro nobis redimendis per-  
 fectiomb; quæ præterierunt: plenissima deni-  
 que Impletio Legis pro nobis ab ipso præstita:  
 quæ omnia à Christo propter nos suscepta, no-  
 bis per Imputationem verè donantur, hoc est no-  
 stra fiunt: perinde ac si nos ipsi fuissetemus pro no-

bis ipsis passi: & nos ipsi Legi Dei plenissime impletionem perfecta, ipsius iustitia & sanctimonia integerrima nobis donatis, præditi essemus, ut prorsus ἀμωμοί & ἀσπίλοι coram Deo listamur, non in nobis ipsis quidem, sed in Christo qui vera fide apprehensus sit noster, ad eum ut ipse & nos unum mysticum spiritualiter constituamus. Hoc etiam pacto nos iustificari coram Deo æterna salute donamur.

*De modo  
percipiendi.*

3. Iam agendum est de Causa formali, hoc est de Causa quæ proximè illud præstat, ἐκπεποιημένη & effectiva, ut Christum ipsum unam cum ipsis meritis percipiamus, ac denique cum eo verè & spiritualiter uniamur.

Isti igitur quibuscum nobis est controuersia de S. Cœna, Causam formalem Unionis siue Coiunctionis nostræ cum Christo secundum se, per se, uerissime in reali Inexistentia corporis, & sanguinis Christi sub signis Sacramenti, in Indistantia Locali, nexu corporeo, & in contractu substantiarum, Nostræ, Christi & Signorum constituentes, deprehenduntur Causam formalem, in re, externa & visibili, absurde prorsus & ἀδουλόγητον constituere, & unionem siue Coniunctionem nostram cum Christo spiritualem & mysticam in unionem siue coniunctionem corpoream & physicam transformare: & dum illam ex hac merentur, Coniunctionem cum Christo fidelibus solis propriam, cum infidelibus communem facere: unionem denique Sacramentalem in idololatricum errorem transferre. Est enim Physica unio siue Coniunctio, quum duo corpora mutuo se contingunt, Localique Indistantia coherent, vel



vel compinguntur. At coniunctio mystica & spiritualis nihil horum desiderat, ut pote quæ nec locum spectat nec corporeum nexum, nec instantiam: nec etiam corpus Christi nisi spiritualiter & mysticè considerat & amplectitur: alioqui non spiritualis & mystica, sed corporalis, visibilis, sensibilisque coniunctio dicenda foret: quod absurdum est, & ipsi nature coniunctionis illius repugnans. Nazianz. hoc exprimit orat. in Agypt. Episc. appulsum, inquit, *Alio modo conneclitur θεῶς, in rebus diuinis, quàm corpora quæ τὸ πρὸς αὐτῶν τῷ, loco coniunguntur. At Anima πνεύματι συναρπύσκει, Spiritu copulantur.* Et August. Epist. 112. *Per fidem ambulantes qui spiritualia spiritualibus comparare potuerunt, viderunt melius mente videri quàm Corpore, & ea videri mente qua non continentur locis, nec si locorum interuallo separantur, minora essent.* Hæc illi hanc rationem optimè explicantes.

Spiritus S. operatio, & *δύναμις ἐνεργητικῆ*, est Causa proximè & efficaciter efficiens, qua Christus fit noster vnà cum ipsius meritis omnibus & beneficiis. Nec verò dicimus simpliciter Spiritum S. esse Causam *ἐνεργητικῆν* & proximè efficientem (sic enim causam externam non efficientem internam & proximam proponeremus, ut isti vociferantur) sed expressè addimus, Operationem efficacitatem & energiam Spiritus S. Christum vnà cum ipsius Meritis, tum in Prædicatione doctrinæ Euangelij, tum etiam efficacius in Sacramentis fidelium animis reipsa applicare, totumque illius coniunctionis mysterium præstare. Hinc etiam dicitur Spiritus S. *ἐνεργῆσαι*

& ἐνεργεῖν, hoc est efficaciter in fidelibus operans  
& agens. Gal. 3. 5. 1. Thell. 2. 13. 1. Cor. 12. 6. Eph. 1. 19.  
Pro efficacia roboris ipsius per quem obfirmamur,  
Et Spiritus ἁγίου ἐνεργεῖ Ephes. 4. Phil. 1.

Quum autem Spiritus S. vnà cum sua operatione illa, disponat hominem vt eorum capax fiat, annectenda sunt illi Spiritus S. operationi ea quæ in homine requiruntur, & ab eodẽ Spiritu S. efficiuntur, vt homo Christum vnà cum ipsius Meritis recipiat: quoniam requiritur inter Agentem & patientem certa proportio & conuenientia, vt vnum ex altero necessãriò inferatur. Nam, *Vnumquodque recipit quod communicatur per modum conuenientem*, vt dictum est. Modũ ergo siue rationem, medium & instrumentũ in homine oportet esse quò recipiat beneficia quæ extrinsecus in illum conferuntur. Cuiusmodi vero est donum & operatio Spiritus S. cuiusmodi etiam necesse est medium, rationem siue instrumentum eius recipiendi existerẽ. Dona autẽ quæ operatione Spiritus S. homini applicantur sunt spiritualia, mystica & supernaturalia, nempe Christus spiritualiter & animo considerandus vnà cum ipsius meritis, & operatio Spiritus S. quæ est interna & spiritualis. Ergo medium siue Instrumentum recipiendi illa dona, non potest esse nisi spirituale & supernaturale: nempe Fides, quæ & ipsa per operationem eiusdem Sp. S. in hominis anima creatur. Hunc autem modum, siue hanc causam Instrumentalem & Instrumentũ supernaturale, vocabulo receptissimo appellare. Nec sunt morosiores nonnulli audiendi, a quibus hoc impro

improbatur. Fides itaque sola in homine est qualitas, siue medium & vis recipiendi Christum vnà cū ipsius meritis. Ideo Dominus Ioan. 6. Manducationem suæ carnis proponens, verba, inquit, *Quæ dixi vobis Spiritus & vita sunt: sed sunt quidam ex vobis qui non credunt:* docens nimirum fide sola carnem suam manducari. Ex quo intelligitur quo sensu orthodoxi dicant, Nos sola fide iustificari: quia fide sola Christū eiusque Iustitiam percipimus. Fides igitur homini data, conditionem & limitationem præstat, qua fit vt hæc propositiones Subcontrariæ sint veræ. Quidam homines Christum recipiunt, iustificantur & seruantur: & Quidam homines Christum non recipiunt. Item, facit vt hæc sint falsissima, Omnes homines Christū percipiunt, Nulli homines Christum percipiunt. Nam in lapsu primi hominis omnes amiserunt naturalem & ingentam conditionē, qua potuissent quæ sunt Dei ad salutem apprehendere. Limitatio igitur subiectis hominibus addenda est, in quarto modo dicendi per se, necessaria: vt discrimen inter homines constituantur. Sic enim conditiones & limitationes suis subiectis sunt adhibendæ, vt illa fiant Accidentium extrinsecus aduenientium *Sextimæ*, hoc est illis recipiendis idonea. Sic, Sol dicitur liquefacere ceram, & indurare lutū: sed non c indurare aut liquefacere lapidem, propter illorum subiectorum patientium diuersas limitationes & conditiones. Euangelium igitur spirituale docet fidem vnicum esse in homine medium, quo tanquam spirituali manu homo possit Christum in doctrina Euange-



lij, & in Sacramentis animis nostris præbitum, per operationem Spiritus S. sibi applicare. Quæ res sequentibus ac similibus Axiomatis cõprobatur. 1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei: Rom. 8. 5. Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt: qui verò sunt secundum Spiritum, quæ Spiritus sunt: Ephel. 3. Per fidem Christus habitat in cordibus nostris, & 1. Ioan. 3. Nos scimus quòd manet in nobis è spiritu què dedit nobis: 2. Cor. 13. vos ipsos tentate, annon cognoscitis Iesum Christum in vobis esse, nisi reprobi estis, Heb. 3. Christi participes facti sumus, si fiduciam ad finem usque firmam tenuerimus, &c.* Ex istis autem etiam efficitur, os corporeũ non esse Instrumentum quo Christus in Sacramento percipitur: ac proinde infideles non percipere Christũ, neque in Sacramento, neque in doctrina Evangelij. Nulla est enim conuenientia & proportio: sicuti modo ex S. Scriptura audiuimus. Res autem illæ quæ per Operationem Spiritus S. applicantur, Spiritus sunt & vita sunt, inquit Christus: & spiritualiter diiudicantur, inquit Paulus: atq; hoc pacto corpus Christi considerandum est ac percipiendum. Quauis igitur Christus se suamque quibusuis offerat, tum in simplici verbo, tum præcipuè in Sacramentis, non tamen à quibusuis recipitur: quia Deus non in omnibus efficit actũ & vitam recipiendi: alioqui omnes qui audiunt doctrinam Evangelij, & qui visibiliter & corporeo nexu sibi Sacramenta applicant, seruantur. Solis igitur illis hominibus qui sunt seruandi, & in quorum cordibus Spiritus Dei ad salutem o-  
pera-

peratur, Christus in Euangelij prædicatione & in Sacramentis applicatur, & ab illis solis manducatur & percipitur, vi & operatione eiusdem Spiritus sancti.

Hieronymus, *Quum venerendo altari cœlestibus cibis satiandus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem mente continge, cordis manu suscipe, & maximo haustu interiore assume.* Ambrosius. *Fide tangitur Christus, fide Christus videtur: non corpore tangitur.* Chrysostomus. *In his vasis sanctificatis non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur.* Idem. *Spiritus S. copula est unionis nostræ cum Christo qui in nostris animabus mansorem fecit.* Deus effudit donum Spiritus S. *Diuinitas non effusa est, sed donum.* Idem. *Accedentes ne putetis quod accipiatis diuinum corpus ex homine.* Idem. *Ipse Christus nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Idem. *Dominus appellat Aquilas, ut ostendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad corpus accedit, nihil cum terra debere ei esse commune, neque ad inferiora trahi & repere, sed ad superiora semper volare, & in Solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere: Aquilarum enim non Gracculorum hæc mensa, &c.* Cyrillus. *Christus per fidem ingreditur in nos & per Spiritum S. inhabitat.* lib. xi. *Et si corpore absens sit Christus in cœlum ascendens, Spiritum immisit.* Dominus aperte significat Deitatis ratione, non carnis presentiam eos seruare. *Salutem non corporali carnis presentiam, sed Deitatis potestate futuram Dominus illis ostendit. Non debetis, inquit Dominus, carnis presentiam desiderare. Quæcum ita sint, quid venit quibusdam inuentem, qui Euangelicam doctrinam cum se profiteri*

In Ps. 50.

In Lucam  
lib. 6. c. 8.In Matth.  
com. 2. ho-  
mil. 11.Hom. de  
Spiritu  
com. 3.Homil. de  
Euchari-  
stia.hom. 70.  
ad pop.In 1. ad  
Cor. c. 10.In Ioannē  
li. 9. c. 47.

Li. 11. c. 21.

*Obiectio  
quorundam  
aliorum  
indigna.*

dicunt, tamen ita cum Monachis Pontificiis  
aduersus nos argumentantur. *Si Christus sola fide  
percipitur, aut imaginariè aut reipsa percipitur. Non  
reipsa: quia vos dicitis, non corporaliter percipi. Ergo  
imaginariè. Item, Si Christi corpus vere adest in Sa-  
cramento, quod vos non negatis: ergo adest corporaliter,  
non spiritaliter.* Obiecto, Annon intelligitis  
infidelium vocem esse, Imaginariè & spiritaliter  
pro eodem accipere? Et fidem opus Spi-  
rit. S. quæ ab Apostolo hypostasis dicitur, i-  
maginarium appellare? quænam sunt hæc ver-  
borum portenta Reipsa & Spiritaliter oppo-  
nere? Quid tam reipsa præstatur quàm id quod  
spiritaliter præstatur: imò magis reipsa quàm id  
quod corporaliter adest. Nihilne reipsa fit &

*Spiritaliter  
quid  
dicatur.*

adest, nisi quod corporaliter? Dicimus Spi-  
ritualiter Christum recipere & præsentem ha-  
bere. 1. quia efficacitate Spiritus Sancti id præ-  
statur. 2. quia fide quæ est instrumentum spirita-  
le, recipitur. 3. quia Christus non ut aliquid cor-  
poreum, sed prout est cibus spiritalis in Sa-  
cramentis offertur. 4. ac tandem quia vita quæ  
inde hauritur, non est corporalis, sed spiritalis.  
Eant igitur isti & cum infidelibus dicant Spiri-  
tualia fidem & quæ fide fiunt esse Imaginaria.

Alij contrà (variè enim à variis oppugnantur  
sana doctrina) dicunt Fidem ipsam esse causam  
formalem Iustificationis nostræ siue Remissio-  
nis peccatorum, in qua est imprimis Absolutio &  
salus nostra posita? Et si enim Fides est gratuitum  
Dei donum, tamen hac assertione non in Chri-  
sto ipso, sed in eo quod intra nos est, causa ipsa  
Iustificationis & salutis constituitur: qualitas vi-  
delicet



delicet in nobis inhaerens loco ipsius Christi Iustitiae & obedientiae pro nobis praestitae, pro ipsa denique Spiritus S. operatione agente, nõ ferendo errore, substituitur. At Christi merita, quae sunt ipsa coram Deo perfecta nostra Iustitia, per Imputationem reuera nobis donantur, nostraq; verè fiunt, aded vt nihil tam sit nostrum: fides autem non in sese sed in Christo Iustitiam suã querit. Nec enim ipsa Deo Satisfecit, nec plenè Iustitiam legis praestitit. Aliud autem est ac longè diuersum dicere, Christi per fidem apprehensi merita nostra fieri & censeri per imputationem: quàm dona ipsius intra nos existere, & in qualitates patibiles in nobis euadere: vt nonnulli se non intelligentes, dicunt. Id sanè non minùs est ridiculum, quàm si quis gemmã aut aliquid eiusmodi ab amico donatum, diceret inexistere in accipiente, ita vt in illo inhaereat tanquam patibilis qualitas, aut aliter inhaerere quàm iure dominij. Denique fides quantumuis excellens sit donum Spiritus S. intra nos collatum, non tamen potest eam vim habere quae coniunctionem cum Christo efficiat, & ex sese nos coram Deo iustificet: quoniam ita Spiritus S. omnia in fidelibus creata, & operatio, & efficacia, ipsi fidei (quae est qualitas in homine creata) perniciosissimo errore, vel meritis Christi in ipsam fidem trãslatis, assignaretur. Et Apostolus vbique satis docet fidem solam esse verum spiritualem modum, siue instrumentalem causam, quum vtitur his phrasibus: *Per fidem: Ex fide: In fide: & similibus: nec dicit, Fides iustificat: sed fide Iustificamur: Per Fidem Christus habitat in nobis: Corde Credimus ad Iusti-*

*niam*, &c. Ac demum ita constituendum est: Fidem quum non sit causa Efficiens, nec Materialis, dicendam esse causam Instrumentalem siue vim & facultatem recipiendi, causamque sine qua donatio illa Christi & meritorum ipsius percipi non possit. Falsa igitur est hec quorundam *erro-*  
*rum*: Quicquid est internum in homine à Spiritu sancto effectum, id habendum esse pro Causa formali & pro Iustitia nostra. Porro sacra Scriptura docet diuersum esse à dono iustitiæ impunitatæ & aliud beneficium, quod per Spiritum Sanctum credentes per Regenerationem efficitur, & Sanctificatio dicitur, & charitas, cuius obiectum est Lex Dei, ut ad eam totus homo sese pro suo modulo conformet. Charitas igitur non potest haberi pro Causa formali Iustificationis nostræ aut coniunctionis cum Christo: sed pro dono illam consequente: alioqui iustitia legis, intra nos statueretur quam Apostolus ubique ab homine remouet, ut in Iustitia per Euangelium proposita, & in vno Christo per fidem apprehenso subiectiuè sita pacem & salutem inueniamus. Est autem Charitas diuersum beneficium à Fide, utpote quæ habeant obiecta & proprietates differentes. Nam fidei proprietas & scopus est, ut Christum in Euangelio propositum apprehendar, & in eo Iustitiam suam in solidum quærat. Est denique tanquam spiritualis manus, quæ Christum ipsiusque merita sibi per Spiritum S. applicata percipit. At Charitas legem Dei sibi proponit: ut supra explicatum est. Illa tamē duo beneficia nepe vera fides & Charitas simul sunt tempore in homine effecta & Inseparabilia & Reciproca, inseparabilis-

*Fidei & Charitatis discrimin.*

bilésque sunt vtriusq; operationes & proprietates: nec minus inter se sunt illa duo beneficia con- nexa, quã intelligentia & volũtas, quę sunt animę inseparabiles potētia, quarũ tamen diuersę sunt proprietates & diuersa obiecta. Atque duo illa beneficia in intelligentia & voluntate hominis simul sunt posita per Spiritum S. potentias illas animę essentielles regenerantē: & Charitas quidem Deum amat, quem Fides vt Patrem in Christo Seruatore fuit amplexa.

Quod si fides ipsa, cuius medio & interuentu homo percipit ea quę sunt Dei ad salutē, neque pro donationis illius, nepe Christi & ipsius meritõrũ, neq; huius vnionis nostrę cũ Christo causa formali habenda est: eo sensu quo illã causam exposuimus, quid istis fiet qui pro Causa formali nostrę cum Christo coniunctionis, Oralem corporis Christi manducationem & eius Inexistentiam ac realem Indistantiam sub signis & intra signa Sacramenti comminiscuntur? Nam in modo externo, in re externa & corporea, causam statuunt internam perceptionis spiritualis.

4. Denique ex istis fusè explicatis, facilè colligi potest quænam sit totius Actionis illius, qua Spiritus S. nos Christo coniungit causa formalis: nempe, Donatio & Receptio ipsius Christi vnã cum ipsius Meritis omnibus per vim, energiam & operationem Spir. S. facta animę nostrę, quę vera fide prædita, eiusdē Spirit. S. beneficio, Christũ vnã cũ meritis ipsius, rãquam manu spiritali, recipit, apprehendit & sibi applicat, eiusdem Spirit. S. efficacitate intus illud etiã peragēte & efficaciter præstãte. Vnde rursus intelligi-



tur: hunc modum recipiendi, & hunc nexum esse spiritualem, mysticum & supernaturalem, ac proinde nostram quoque cum Christo & secundum se, & secundum effectum esse spirituales unionem. Sic, quænam esse possit alia percipiendi signa in Sacramentis causa formalis, quam ipsa signorū præbitio & sumptio per Pastores Ecclesiæ, per os corporeum, per indistantiam localem rerum sensibilium, peracta? ac proinde corporea & visibilis perceptio, modusque & ratio illa coniungendi visibilis, corporalis, sensibilis? Sic (vt istud aliquibus similitudinibus illustremus) si Causa formalis queratur possessionis alicuius rei nobis donatæ, ea certè fuerit ipsa realis traditio & mutua acceptio: nec aliter in omnibus acquirendi modis, Causa formalis consideratur. Quum igitur Christum, eius Iustitiam & merita Recipere, sit actio qua Christus & eius beneficia nostra sicut *deus deo*, vt loquitur Apostolus: & quum sit Actio quæ mutuam & realem relationem inter agentem & patientem, id est donatorem & accipientem ponit, Theologicè simul & Philosophicè assignatur illius Causa formalis, quum dicimus esse ipsam rerum illarum Donationem effectam per operationem Spiritus S. & reciprocam illarum perceptionem per fidei instrumentum. Ita etiam Causam formalem Iustificationis nostræ, h. e. Actionis illius, qua Deus gratuitâ benevolentia propter Christi filij sui Iustitiam & meritum Iustificat impium (vt ait Apostolus) eumque sibi reconciliat, à damnatione liberat, adoptat ac salute aeterna facit competentem, dicimus esse ipsam meritorum & Iusti-

Iustitiæ Christi per imputationem donationem vera fide apprehensam. Quæ verba nimirum denotant id quod habetur ex promissione Euangelij, quæ vera est Causæ formalis proprietatis, nempe quæ efficit vt habeamus id quod promissio Dei proponit.

In Paucis fons totius in hac quæstiones erroris indicandus est, Primùmque falsum quod ἡρώτων Ἰησούος vocant, ex quo infiniti errores alij proueniunt, detegendum est. In omni Scientia requiritur Demonstratio perfecta, cuius Mediū sit ex absolutissima Definitione constitutum. Accipimus Definitio Nominis, quæ & ὀνομασίαν & ἐπισημασίαν dicitur, vocabulorum vim & proprietatem explicans, ab istis præuè tradita, efficit vt in ipso limine impingant & à ianua aberrant. Perperam enim explicant huius quæstionis vocabula, nempe Iustitiæ Christi, Fidei Signi, Signati. In Definitione verò Essentiali vel ἐσσιώδεις tradenda grauius etiã peccat: quia nõ bene definiunt essentiam & proprietates essentielles corporis Domini: Iustitiam eius suis partibus constitutam, non agnoscunt: malè quoque naturam Signorum & fidei & reliquorum quæ in hac quæstione, proponunt. Sed imprimis grauius ab illis peccatur quum quærunt Definitionem ἐσσιώδεις siue Essentialem in Cõiunctione facta in hoc mysterio: quum sola Definitio Causalis siue ἀσσιώδεις hic possit habere locum. Nam cõiunctio & vnio tum Spiritualis tum Sacramentalis est Actio ex institutione. In iis quæ sunt eiusmodi, Definitio Causalis satisfacit perfectæ Demonstrationi, atque Medium ἀότι absolutum conti-

In hac  
quæstione  
Primaria  
causa er-  
roris ἐ-  
ἡρώτων  
Ἰησούος.

net. At Definitio Essentialis Terminorum Theo-  
rematis demonstrandi, Essentiam tradit: vt do-  
ceatur natura rei ex qua aliquid Totum consti-  
tuitur Integrale. Atqui hîc non agitur de Toto  
integrali constituendo, neque de quadam hypo-  
stasi aut aliqua natura, quæ sit aliquid *ουθεν*  
ex substantiarum coalitione, conglutinatione  
aut ferruminatione conflatum. Ergo in hac Sa-  
cro sancta coniunctione mystica, Causalis defi-  
nitio duntaxat est proponenda, eaque ex verbo  
Dei deprompta: quæ quidem vim & nexum si-  
ue causam formalem huius Coniunctionis con-  
stituit.

Est autem duplex in hoc argumento quæstio  
prorsus diuersa. Vna quum agitur de Cōiunctio-  
ne nostra cum Christo. Altera de copulatione Sa-  
cramentali Signi & rei ob signatæ. In vtraque for-  
malis Causa prorsus diuersa constituitur. Nā in  
Coniunctione nostra cum Christo causa efficiens  
proxima & *ουθεν* Adoptionis & Iustificationis  
nostræ apud Deum, est vera Causa formalis. At  
Copulatio Sacramentalis est Instrumentalis cau-  
sa sicut & Vocatio externa per Euangelij annun-  
tiationem facta. At in Instrumentis Externis,  
nulla est alia Causa formalis quærenda, quàm fi-  
nalis. Fides verò est internum spirituale instru-  
mentum.

5. Superest vt aliquid dicamus de Signis &  
Sigillis sacris à Deo institutis, cuius causæ ratio-  
nem habeant in nostra cum Christo vnione, vt  
eò faciliùs intelligamus quænam sit illa Sacra-  
mentalibus coniunctio, qua signa illa & res illis de-  
signatæ, corpus nimirum & sanguis Christi, Sa-  
cra-



cramentali ratione copulantur.

Primùm constat, idque omnes Theologi agnoscunt, Sacramentorù signa & sigilla esse nostra cum Christo vnionis sacra Instrumenta externa diuinitus instituta, ac proinde in illo mysterio non aliam causam quàm instrumentalem obtinere. Nà qua ratione signa sunt Instrumenta, ita etiam rem nobis repræsentât. Præterea demonstratum est omnium Instrumentorum, quæ à causa efficiente adhibentur, perfectionem, definitionem causalem, quæ sola in his requiritur, vsum & Formalem causam, à Finali causa, à qua pendent, & ad quam in solidum referuntur, sumi oportere: itidémque nullam Instrumentalé causam esse Causam efficientem aut formalem effectus illius cuius est causa Instrumentalis. Porrò Signorum hæc est natura vt duo proponant, vnum Sensibile, alterum Intelligibile: illud corpore, hoc autem mente (vt scitè monet Augustinus, quia mentis non dentis cibus est) percipiendum, mente (inquam) suo illo ad id idoneo instrumento, nempe Fidei, prædita. Nam sicut res Intelligibilis quæ in eis proponitur, sola fideli intelligentiâ dignoscitur: sic illi soli à Spiritu Dei applicatur. Res enim Supernaturalis ac spiritualiter proposita, non nisi Instrumêto & modo Supernaturali & Spiritualis percipi potest, vt Spiritualia Spiritualibus: Corporea & Visibilia, Corporeis & Visibilibus, respondeant. Ita in prædicatione Euangelij est signum Audibile, nempe Verbù exterius aures afficiens: sed res illo verbo significata & Intelligibilis animo percipitur: In Sacrameto verò signù adest visibile ac tågibile,

cui verbum annexitur Audibile, quod Augustinus docens 2. de doctr. Chri. & lib. 19. cont. Faust. *Quid aliud sunt, inquit, Sacramenta, nisi quedam visibilia verba?* Itaque sensus corporei magis afficiuntur in Sacramentis quàm in simplici verbo: & res eorum intelligibiles salutiferæ animam potentiùs afficiunt, ac fidem efficacius ad illas percipiendas excitant. Ex quibus etiam intelligitur Orthodoxè dicendum esse: Signa & sigilla sacra Cœnæ Domini, re ipsa & in solidum ad corpus & sanguinem Christi referri. Porro qui Relata sunt Sacramentorum Signa visibilia, rectè ac propriè Denominationem suam à re Signata accipiunt, à Termino nimirum ad quem & propter quem sunt instituta: qui Terminus est illorum fundamentum, finis & ratio, & ad quæ omnino ex Domini instituto referuntur. *Sacramenta, inquit August. contra Maximum li. 3. c. 22. sunt in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur. Quoniam signa sunt rerum aliud existentia, aliud significantia:* ac proinde etiam, non à re quam designant & ad quam referuntur accipiunt: ut Circumcisio vocatur fœdus, & Petrus Christus, & Panis corpus Christi. Hanc Denominationem nonnulli Metonymiam maluit appellare. Sed λογωμαχίας vitabunt Theologi, hanc quæstionem per naturam Relatorum meliùs, certius, accuratiùs quàm per Rhetoricos tropos explicantes. Copulatio verò quæ intercedit inter illa signa & rem signatam (quam etiam recentes theologi vocant Sacramentalem) nõ alia esse potest quàm vnitas rationis quæ est Obiignatio, quæ ἑλίκῃ etiam appellatur & Relatiua, & Signifi-

gnificatiua: sed rationis diuinæ, quia illa sunt ex  
 instituto Dei Relata. in illis Relatis est pro-  
 priè vnitas rationis, quæ in hac Vnione Sacra-  
 mentali, exprimitur vocabulo Sacramenti, quum  
 illud vocabulum pro tota sacra Aetione illa su-  
 mitur, vt supra exposuimus. Obsignatio au-  
 tem totum hominem respicit: sed corpus obli-  
 gnacula visibilia & pignora Resurrectionis &  
 promissionu recipit: Anima verò ipsam rem ob-  
 signatam percipit. Certa est autem illa vnitas ra-  
 tionis relatiua, vt signa etiam à re quam designat  
 Denominationem accipiant, tanquam à Termino  
 propter quem sunt instituta, & ad quem refe-  
 runtur. Itaque Finalis causa in illis Signis potif-  
 simum est spectanda, vt vnio Sacramentalis ex  
 Causa finali definiatur. Docet etiam Analytica  
 disciplina, Vnitatem quæ efflorescit inter relata,  
 à termino à quo ad terminum ad quem, causam  
 esse formalem in qua sit omnino acquiescendū:  
 alioqui progressus esset in infinitū, & causa cau-  
 sa semper quæreretur. Quum igitur ventum est  
 ad illam vnitatem, nihil est vltius requirendū.  
 Vt inter ementem & vendentem vnitas est quæ  
 causam formalem continet, diciturque Emptio:  
 inter accipientem & donatam dicitur Donatio.  
 Inter signum & signatum dicitur Actio & obli-  
 gnatio: inter paciscentes Pactum: & fœdus. Sed  
 hoc imprimis obseruandū coniunctionē Chri-  
 sti non esse quæredam in Signis sed in fidelibus.  
 Nam causæ Instrumentali non tribuenda est  
 causa Materialis & formalis in Sacramenti quæ-  
 stione. Nam quibuscum Christus est coniun-  
 ctus reipia, illos etiam viuificat. At Signa non



viuificat: Ergo in illis non est quædã Substantiarum copulatio quædam. Denique non copulatur Christus cum Signis visibilibus nec cum verbo Euangelij annuntiato: quia vtrumque est Instrumentum Significatiuum. Hinc præclare Hieronymus *Si quando audimus sermonem Dei, & Sermo Dei & Caro Christi & sanguis eius in AVRIBVS nostris funditur.* In Psal. 147.

Vt autem illa facilius etiã à quibusuis intelligantur, aliquid de Præsentia dicendũ est, ne vocabuli æquiuocatio minùs attentis imponat.

Vnio seu Coniunctio & Præsentia sunt duo reciproçè connexa, sic vt vnum non sit sine altero, sed perpetuò in secundo modo necessitatis per se cohæreant: ita tamẽ vt ex Vnionẽ sit huius præsentia Causa formalis æstimanda. Quum autem Vnio, etiã in hoc argumẽto, non vno modo dicatur, sed pluribus, ipsis Aduersariis assentientibus, tot etiã modis dicetur Præsentia. Vnio igitur in hoc argumento dicitur quædã Spiritualis: nempe Corporis & beneficiorũ Christi: quædam Sacramentalis nempe signorum & rerum significatarum. Ita etiã præsentia alia fuerit Spiritualis: nempe in verbo Euangelij & in Sacramentis: alia Sacramentalis: nempe Significatiua. Atque etiã alia est perceptio corporis & beneficiorum Christi quæ est Spiritualis, alia Sacramentalis signorum quæ externa est, sensibilis, visibilis & corporea. Nam cuiusmodi est vnio, semper eiusmodi est præsentia, & eiusmodi etiã est perceptio & percipiendi modus. Illa enim indissolubili necessitate connectuntur. Vnio Spiritualis necessariò præsentiam itidem

dem Spiritualem præsupponit, quæ præsentia toto genere distat à præsentia corporea, & locali per indistantiam. Itaque præsentia & Indistantia localis, perperam dicitur ab istis Inuisibilis: quasi Inuisibilis sit idem ac Spiritualis. Nec potest indistantia & præsentia localis cadere in vniōnem & præsentiam Spiritualem, quæ omnino constat ex iis quæ sunt *sub speciebus*, non ex iis quæ sunt *in rebus*. Sacramentalis autem vniō est vnitas rationis inter duo verè & reahter correlatiua. Itaque præsentia eius est etiam rationis: non autem est præsentia corporis Christi localis & per indistantiam: eo namque modo visibilis esset & naturalis: vel præsentia corporis Christi cum signo dicenda foret Spiritualis, quod est absurdissimum.

Est igitur Vniō Sacramentalis cuiusmodi est præsentia: & hæc, vt est Christi promissio in institutione Sacramentorum. Atqui hæc est Pactionalis, ita vniō & præsentia est Pactionalis. Nihil autem à Christo promissum est signis, sed discipulis ad quos etiam pertinent verba Institutionis Christi, & quæ ad illos solos diriguntur. Ergo spectandum quomodo Christus sit nobiscum coniunctus, non cum signis visibilibus: quæ sunt instrumenta ad excitandam & corroborandam fidem, & ad promissiones in homine obsequandas comparata. Quanam est obsecro vniō inter sonum prædicationis Euangelij & rem promissa, nisi Inrelligibilis ac fide apprehendenda? Est-ne realis connexus soni cum re designata: nõne sonus doctrinæ Euangelij, & illa Sacramentalis signa eandem repræsentant? Vniō igitur si-

gni cum re designata non potest esse nisi prout signum ad rem designatam comparatur. Nam (vt vnionum genera persequamur.) 1. Accidentium reliquorum & subiectotum vnio vnum ac idem numero indiuiduum constituit. 2. Vnitates autem Subiectotum siue Substantiæ cum Substantia, sunt aliquid cōtinuum per naturam, & aliquid ex vtrisque conflatum, vnde vna persona, vna hypostasis & totum integrale constituitur: quæ non diuiduntur loco. 3. Porro eorum quæ sunt simplicissima, vna est definitio, vna perceptio, & vna *vnitas à seipso*. Quis autē, nisi blasphemè dixerit vnionem Sacramentalem esse eiusmodi? Quum igitur illa tria vnionum genera non possint convenire Copulationi quæ est inter Signum & Signatum, id quod ex se euidētissimum est: Superest vt nulla sit alia, Vnio Sacramentalis conueniens quàm vera Relatiua, & quæ verā Vnio etiam dicitur, non autem Substantiarum Connexio aut vnitas: aut Localis præsentia vel realis Inexistentia vnus in altero. Denique Vnionem siue copulationem Sacramentalem esse asserimus verè Relatiuam, siue *extrinsecam* esse (hoc est, quæ extra vsum Sacramenti non est) nec esse essentialium contactum seu nexum & vnitionem. Non sunt autem Relatorum vniones figmenta. Hæc omnia sunt à nostris doctoribus sequentibus argum. accuratè demonstrata.

Horum primum est sumptum à natura & veritate corporis Christi quantumuis glorificati: eiusque ascensu in cælum, & eiusdem reuersione de cælis. Nam doctrina de Inexistentia reali & præsentia corporali sub signis vel in signis Sacramen-



cramenti, necessariò illos fidei articulos evertit, atque Vbiquitatem corporis Christi, vel multitudinem Christi corporum infert. vt docet August. ep. ad Dard. & de fide & Symb. & l. 20. contra Faustum. Fieri etiam non potest vt vnũ Christi corpus quatenus vnũ, sit duo & Solius S. Trinitatis est, vt sit Vbique. quia non est Corpus.

Deinde Signorum institutio & ratio istud indicat, in quibus diligenter cauendum est, ne illa pro rebus designatis accipiamus, vt monet Augustinus de doct. Christ. 2. Item hoc euincit signorum essentia, vsus, finis & Sacramentorum natura.

Tertio, quum Unio Sacramentalis sit tantum Causa Instrumentalis ad coniunctionem Spiritualem menti nostræ representandam & obsequendam, certè res ipsa quæ vnitur nobiscum in Coniunctione Spirituali nequaquam cum illis signis vnitur: alioqui Sacramentalis etiam hæc Unio esset dicenda Spirituales, quæ ipsa quoque signa viuificaret: ita signa ipsa Sacramentalia non amplius essent Instrumenta, sed ipsa forent causa Efficiens & formalis: quod est *αθεολογον* & natura Sacramentorum, atque Spiritus sancti energie fideique proprietati omnino repugnans.

Quarto, Coniunctio siue Unio quæ est iuxta materiam, & fit per contactum Corporeum, adeoque indistantiam in Actionibus requirit, crassa est & Physica, ac proinde ab hoc mysterio proflas remota: adeoque infirma est, vt ne quidem in rebus Physicis vera Causa formalis in illa Unione statuatur. Imò ne in omnibus quidem naturalibus coniunctionibus ista indistantia re-

quiritur. Num enim is definit pater esse, qui à filiis est remotus? Annon sunt amici inter se naturali affectu coniuncti, quamuis corporibus absentes? An non maritus & vxor vinculo coniugij sunt astriecti, quantumuis locorum interuallis disiuncti? Cuius igitur est amentia locorum interuallis talem coniunctionem cum Christo definire vel metiri? Quid commune habet nexus corporeus cum coniunctione Spirituali? Absit igitur vt Christum qui nos vult ad se euehere, ad hæc loca reuocemus. Quanto melius vetus hæc Christianorum formula vltim Sacramenti docet: *Sursum corda: habeamus ad Dominum*, ne fidem & Spiritus sancti efficaciam spatij locorum coarctemus, vel ad Indistantiam corpoream referamus. An nõ verò sunt Spiritualia Spiritualibus nobis diiudicanda? Indistantia igitur Localis & nexus Corporeus nihil ad eos pertinet in quorum cordibus Spiritus sanctus operatur. Nam ipsa Christi membra omnia, hoc est electi & fideles omnes, sunt inter se quàm coniunctissimi, qui nimirum vnum corpus mysticum constituunt, quod est Christi Ecclesia, cuius Christus est caput. Quis autem non agnoscit illam membrorum inter se vnitionem, locorum interualla non spectare, nec per Indistantiam aut per connexam substantiarum fieri? Ergo nec fit per indistantiam, contactum vel connexam substantiarum, vnitio corporis & membrorum cum capite suo Iesu Christo.

Quintò, Orthodoxa quoque doctrina de coniunctione Christi cum credentibus, & de Manducatione carnis ipsius, exposita perfectissimè

Ioan.

*Ratio localis non spectanda in hoc S. mysterio.*

Ioan. 6. apertè demonstrat quænam sit Vnio Sacramentalis, ac commentitiam istorum Vnionem euerit. quam signa, res videlicet Inanimata, nequaquam sint illius coniunctionis subiecta *deus. iuxta*. Præsens autem corpus Christi in Cæna exhibetur, prout percipitur tanquam cibus Spiritualis animæ ad vitam æternam, & prout est fidei obiectum. Præsens autem fidei opponitur ab Apostolo ei quæ est per speciem. Coniunctio etiam Spiritualis diligenter est à Sacramentali distinguenda: & vtraque à Locali & corporca Vnionem. Nam coniunctio nostra cū Christo, non aliter est quàm nostra in illo Mansio: nec diuersa ratione nobiscum Christus coniungitur quàm in nobis manet.

Verùm, tempus est vt hanc respõsionis nostræ partem cõcludamus, adductis aliquot Patrũ testimonis, quæ hanc Doctrinã ex S. Script. deprõptã, & à nostris Doctoribus per tractatã cõfirmãt.

Athanas. ad Serap. *Christus Ioan. 6. de Carne & Spiritu suo locutus est, & Spiritum à carne discriminauit, &c. Quat enim hominibus corpus eius suffecisset ad cibum, vt vniuersi mundi alimonia fieret. Sed propterea Ascensionis sue in cælum mentionem facit, vt eos à corporali intellectu abstraheret, ac deinde carnem suam, de qua loquutus erat, cibum è supernis cœlestem & spiritualem alimoniã, & ab ipso donandam intelligerẽ. Qui enim locutus sum vobis, inquit, Spiritus est & vita. Quod perinde est ac si diceret: Corpus meum quod ostenditur & datur pro mundo, in cibum dabitur, vt spiritualiter vnicuique tribuatur, & fiat singulis inuicem præseruatiõne ad Resurrectionem vnã æternã.*



Tertul. de Res. carnis. Si carnem ait nihil professe, ex materia dicti dirigendus est sensus, & c. Nam ut in Spiritu eius dissoneret, statum salutis promissit. Spiritus est qui vivificat, & c. sermo caro factus est, proinde in causam vite appetendus, & devorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus.

Nazianzenus ad Cleodonia epist. 1. Christus in nobis habitat, non secundam eam Christi partem que in oculos cadit, sed ea que intellectu percipitur. Ambrosius de iis qui inhiantur Corpus Christi in Sacramento non est corporalis esca, sed spiritalis. Quicumque hanc manducaverit, non morietur in eternum.

Bern. serm. de S. Mart. Caro Christi adest in Sacramento quatenus spiritaliter exhibetur. Cyrillus lib. 4. & 2. in Ioan. Ingre ditur in nos Christus per fidem & per Spiritum S. inhabitat.

Augustinus tract. 50. in Ioan. Ascendit in caelum secundum corporis presentiam, & non est hic: ibi sedet ad dexteram Patris, venturus est iudex: audiant & teneant. Respondeo, quem tenebo? Absentem: quomodo in caelum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? fidem mitte & tenuisti: parentes tui tenuerunt carnem, in tene corde, quoniam Christus absens etiam presens est. Et serm. 140. Absentia Domini non est absent, habeto fidem & tecum est. Item, absuit corpore dum tenebatur fide. Ideo Dominus absentavit se corpori, & c. Idem de Civit. Dei l. 19. & 21. Et Trac. 25. in Ioan. Non dicendum est eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi. Isti non sunt dicendi manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt Christi. Non possunt simul esse membra Christi, & membra meretricis. Demique ipse dicitur, Qui manducat carnem meam, ostendit quid sit  
non

non Sacramēto tenus, sed reuera corpus Christi manducare & eius sanguinē bibere: hoc est enim in Christo manere, ut & Christus in illo maneat. Sic enim hoc dixit, quasi diceret. Qui in me non manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum. Et sent. 339. Qui discordat à Christo, nec corpus eius manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tante rei Sacramentum ad iudicium sue presumptionis quotidie accipiat. Et lib. 33. contra Faustum. Accedant ad Iesum non carne sed corde: non corporis presentia, sed fidei potenti: sicut ille Centurio. Nos non tangimus, credimus. serm. 28. in Luc. ser. 55. de verbis Dom. Quemadmodum Christus in nobis hic, ita nos ibi in illo sumus. Christus caput nostrū sursum in cælo est, & nos deorsum. Est autē ille in nobis hic & nos ibi in illo sursum. Nos autem fide, spe & dilectione sumus cū Christo in cælo, & ipse diuinitate, humanitate, & unitate nobiscum est in terra. Ex loco 1. Ioan. 3. & 1. Ioan. 4. Serm. 60. de verbis Domini. Nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus. Non manu tangendo, sed corde creditur: fide me tanges quum ascendero ad Patrem. Ephes. 46. Credite in absentem, sperate uententē: sed tamē per misericordiam oculam sentite presentem. Cyprianus de Cœna serm. Mansio & Incorporatio nostra in ipso, est manducatio, & potus, quo non corporali sed & spiritali transitione Christo unimur, & corpus ipsius efficimur.

Atque de his hactenus, quæ copiosè fuerunt à doctorib. nostris istorū surdis auribus inculcata.

Vellicat iste quum non potest diluere argumentum ex Augustini verbis art. 26. Indic. sup. de promptu. *Quum Solem intuemur orientem, in-* De simili-  
tudinē  
Solis.

quit Aug. de Gen. ad lit. c. 34. *Simul uno ietu transit  
 noster obtutus, & c. corporea lucis est radius ex oculis  
 nostris emicans, & tam longè posita tanta celeritate  
 constringens. Quod si oculorū carnalium acies celeritate  
 tantum potest: qui d' mentis acies? & c. Ita ser. 64. di-  
 xit, Oculum nouisse pasci luce, & epist. 3. ad Voluf.  
 Quomodo anima, inquit, que sunt extra carnē suam  
 sentit, que non nisi in carne sua uiuit? annon ab eius  
 carne longissimè absant sidera in cælo? annon in cælo  
 uidet Solem? an & in cælo uiuit, quia & in cælo  
 sentit? Sunt istius clausi oculi, qui hæc &  
 similia, dicit se non uidisse apud Augustinum:  
 forsitan ut alia multa ex ipsorum codicibus de-  
 truncata fuerunt. Nam illi non ueriti sunt libros  
 Patrum mutilare. Argumentum D. Sadeelis fuit  
 à Comparatis. Si visio naturalis & corporea in  
 puncto ad Solem usque peruenit: si corpus Solis  
 est præsens oculis per eius radios illustratis: ut  
 docet Augustinus: multò magis fides, quæ est vi-  
 sio spiritualis & supernaturalis, corpus Christi  
 in cælo existens apprehendet, eique præsentis-  
 simum irradiante Spiritu S. Quod idem Augult.  
 perspicuè docet serm. 152. & 155. *Tangit Christum,*  
*inquit, qui credit in Christum.* Et Bernardus serm.  
 28. in Cant. *Potest tangi postquam ascendit, sed affe-  
 ctu, non manu: fide, non sensibus. Tanges manu fidei,  
 deflexeris digito, deuotionis amplexu, voto non oculis.*  
*Tanges oculo mentis.* serm. 79. *Nouunt fideles Christū*  
*habitare in suis cordibus. Quid propius? Hæc illi.**

Syllogismus Gregorij erat. *Fideles nunc eodem  
 tantum genere coniunctionis, ex sententia Caluinista-  
 rum ununtur cum Christo, quo fideles ueteris Testa-  
 menti olim unii fuerunt cum Christo uenturo. Sed fi-  
 deles*



deus olim non aliter uniti fuerunt cum Christo venturo, nisi secundum spiritualem fidei aut gratie effectum. Ergo fideles nunc, ex sententia Calvinistarum, non aliter ununtur cum Christo, nisi secundum spiritualem fidei aut gratie effectum. Ad formam Syllogisticam sic reuocandus hic Syllogismus, alioqui nihil concludens. Nulli fideles olim veteris Testamenti aliter uniti fuerunt cum Christo venturo, nisi secundum spiritualem, fides aut gratie effectum. Omnes fideles, ex sententia Calvinistarum, in eodem tantum genere coniunctionis ununtur cum Christo quo fideles vet. Test. Ergo fideles nunc, ex sententia Calvinistarum, non aliter ununtur cum Christo, nisi secundum spiritualem fidei aut gratie effectum. Corrigitur maior propositio illius Syllogismi hoc pacto. De fidelibus sub veteri Testamento S. Scriptura dicit, eos bibisse de petra spirituali Christo, & Christum fuisse eorum caput, seruatorem, mediatorem, & Abrahamum vidisse ipsius die. Ergo fideles cum ipso Christo fuerant per fidem uniti. Minor propositio, quam iste Calvinistica impie nominat, firmissima est ex hoc Axiomate. Quotquot seruantur, per fidem quæ est in Iesu Christo seruantur: vnicum est scdus, vnicum semine Abrahamæ, vnicus Redemptor: ex vnica cum Domino Iesu vnione, est causa salutis: quæ vnio fit per fidem, vt supra demonstratum est. Et quicumque beneficia Christi participant, cum eo sunt etiam uniti. Nam hæc omnia recipiuntur. Qui habent titulum habent fontem: fides autem non locorum interuallis, non temporum spatiis metienda est. Temporis & loci circumstantiæ pertinent ad res corporeas: in spirituali & mystica

coniunctione non habent locum. Augu. in Ioan-  
 trac. 45. *Ante aduentum Domini nostri Iesu Christi,*  
*precesserunt iusti, sic in eum credentes venturū quo-*  
*modo nos credimus in eum qui venit. Tempora va-*  
*riata sunt, non fides. Eadem fides utrosque coniungit,*  
*habentes eundem fidei spiritum in Signis diuersis.*  
*Eundem spiritalem potum biberunt. Quid enim illi*  
*bibebāt? de spirituali sequenti petra: Petra autem erat*  
*Christus. contra Manich. l. 20. cap. 16. Aduersus ca-*  
*lumniosam imperitiam demonstrare suffecerit quāto*  
*errore delirent, qui putāt, Signis sacramentisque mu-*  
*tatis, etiam res ipsas esse diuersas. In Pl. 77. Idem in*  
*mysterio cibus & potus illorum qui noster. iam igitur*  
*cant Aduersarij, & Augustinum imprimis, reli-*  
*quosque Patres quos audiuius supra de hoc*  
*mysterio differētes, Calvinistas appellent: Ad-*  
*uersus eos libellos famosos Caluinoturcicos &*  
*Caluinoiudaizantes scribant, non minus impu-*  
*identes quā ineptos nec Christianē scriptos.*  
 Sed rectē Basilius or. de Ira. *Coniunium, inquit, est*  
*ut Echo, in clamantes infringitur.*

Errores

Gregorii

P. 47. 19.

66. 6.

23.

*Volunt valde imperitē, inquit Valērianus, Chri-*  
*stum ut hominem non fuisse tantum causam moralem.*  
*(scilicet per suum meritum) gratie quam habuerunt*  
*fideles veteris Testamenti. Nam situm Christus actus*  
*non extitit ut homo, certē non potuit tūc aliter, quā*  
*ut causa moralis esse cause gratie, propter merita futu-*  
*ra. Nunc vero quum actus existat Christus ut homi-*  
*causa est gratie per suam humanitatē, non modo mo-*  
*raliter suo merito, sed etiam ipsam gratiam efficiendo*  
*in modum cause Physica.*

Christus  
 nobiscum  
 cōiunctus

Si voluisti, Gregori, hęc tua ænigmata intelli-  
 gi, quum hic non tantum Christo suum meritū,  
 sed

sed etiam alia futura merita commemoras, tibi *est, isidém*  
 eorum exponendum fuit, hæc merita futura quò- *que fuit*  
 nam referas, ad Christumne incarnatum, an ad *coniunctus*  
 credentes. Item quæ sit ista moralis causa, quæ ab *cum veter-*  
 humanitate Christi non tantum distinguis, verum *ibus fide-*  
 etiam separas in veteris Testamenti Partibus: &  
 quid gratiæ nomine significes: quis sit denique  
 iste causæ Physicæ modus: in quibus penitus  
 seruantis formulis, si nos existimas velle operâ  
 vllam ponere, valde falleris. Didicimus enim, &  
 quotidie discimus ex sacro Dei verbo non tantum  
 sapere, sed etiam loqui. Et certè illis tuis verbis  
 quam merita Christi renocas ad causam mora-  
 lem & modum Physicæ causæ, & Pelagianam  
 hæresin refers, & Iustitiam Pharisaicam stabilis:  
 vtrunque autem Iustitiam Christi euerit, quæ  
 proponit ipsius Satisfactionem & obedientiam  
 nobis ad salutem imputari. Cæterum nos ad hæc  
 tibi respondemus, ea quæ tum ab aliis doctori-  
 bus orthodoxis, tum à præstantissimo Theo-  
 logo ac imprimis venerando sene D. Theodoro  
 Beza fuerunt de hac re accuratè tractata. Sicut v-  
 nus Christi perfectissima obediètia nos & à mor-  
 te redèptos, & æternæ vitæ ius ex ipso legis pacto,  
 quæ pro nobis ille plenissimè adimpleuit, ad ep-  
 tos fuisse agnoscimus: ita nullâ prorsus in sanctif-  
 simorum etiâ hominû operib. vllis, dignitatè cõsti-  
 tutus, quæ vel minimû Dei beneficiu mereatur:  
 nec tamè bene operâtes homines negamus eadè  
 Dei benignitate, nõ ex debito, sed propter Chri-  
 stum cui se verè credidisse sunt re ipsa testati, æter-  
 navitâ coronari. Tu verò, Gregori, videris in qua  
 tãdè schola didigeris, sublata ipsius humanitatis  
 Christi *novariâ*, quæ tu sanè tû in veteris Test. Pa-



tribus omnibus, tū in nostro Baptismo, ac in simplicis verbi prædicatione tollis, constitui posse vllam meritorum Christi communicationē, vtpote quæ non possint alibi quàm in ipsa Christi humanitate, & quidem subiectiuè considerari. Atenim, vociferamini. Humanitas illa tam actu non subsistebat. Concedimus: sed hoc ipso gladio te ipsum iugulas. Nam multò etiã minùs iustitia illa & obediētia Christi in carne actu adhuc existebat, ac proinde neque eius meritum. Cohærent enim ista causarum nexu planè indissolubili. Quid igitur Patribus illis præter inanissimas vmbas relinquis? An dices fideles ex causa formali diuersa seruari? nõne omnes in Christo & in Christi meritis salutē sunt adepti? Merita Christi nonne sunt in ipsius obedientia & Morte? quinam igitur isti dicunt Veteres participasse quidem illa merita, sed non ipsam Christum? quare diuellunt meritum Christi ab ipsius Morte, aut Mortē ab ipsius Humanitate? At longè aliter Apostolus, *illos inquit eundem cibum, & eundem potum, atque nos sumpsisse: typicè quoque in maris trāsitu baptizatos. Et ne vestro more appellationes cibi & potus ad sola Christi beneficia transferas, obstat Paulus expressè scribens, Petra autē illa ex qua bibebant erat Christus. Quid amplius, Gregori? Illa ipsa Christi obedientia, in qua sitam est ipsius meritum, an nunc existit? an nunc pendet Christus in cruce? an sanguis ille nunc effunditur? nequaquam inquis: sed actu extitit. Fatemur: sed quæ nondum fuerunt, & quæ esse desierūt, paria sunt. Viget semper Actus vt loquuntur Actionis illius: hoc est eius vis & effica-*

efficacia: nullis locis, nullis tēporibus coarctata: sed ipsa Mors illa, siue Actio illa nō est amplius. A mundi fundamento sic dicitur Agnus ille occisus. Nec temerē Dominus ipse Cœnam instituens verba temporis præsentis vsurpat, *Quod pro vobis frangitur, & Quod pro vobis effunditur.* Nam rectissime Bernardus, longē alius quā vos Monachus, in Epiphān. Domini sermone 2. *Videte,* inquit, *quā sit fides oculata, quā hęc oculos habeat: cognoscat Dei Filium lactātem: cognoscat in ligno pendentem: cognoscat morientē.* Rectē & ipse verba præsentis tēporis vsurpās. Nā vt ipsi Deo promittenti præsentia sunt omnia quę promittit: ita fides in illas promissiones intuēs, siue iam exhibitas, siue exhibēdas, illas vt sibi præsentissimas spiritualiter intuetur, & apprehensas animabus credentium applicat: ad eō quidem vt Paulus de futuris loquens, nos testetur iam cum Christo resurrexisse, & in cœlestibus collocatos, Ephes. 2. 6. Et fatearis necesse est cum Apostolo Heb. 11. 1. Fidem rebus quę sperantur, ac proinde promissis nec tamen actu existētibus, suam minimē vanam subsistentiam, quōd ad ipsos credentes attinet, tribuere: nisi fortē minorem Fidei vim esse putas, in Dei veritate nō respicientis, quā naturalis nostrę intelligentiæ, quę tūc futura, tūc præterita sibi, quę tūc non semper cum fructu, verē tamen & re ipsa repræsētat. Quōd si tibi ista non sufficiunt, at saltem Augustinum audi, qui loco paulō antē citato, *Tunc,* inquit, *Christus venturus, modo Christus venit: vēturus & venit, diuersa verba sunt: idem autē Christus.* Et Bertramus, illo recētor, nempe sub Carolo magno, tam ver-

rè tamen & orthodoxè vestrum continentium  
 idolum oppugnās, quàm impudenter à vestriūm  
 nonnullis, licet nullius hæresis suo tempore ac-  
 cusatus, inter hæreticos numeratus, *Eandem  
 tamen, inquit, escam spirituales manducasse, &  
 eundem potum spirituales bibisse Patres nostros Pau-  
 lus asseuerat. Queris fortasse, quam eandem? nimirum  
 ipsam quam hodie populus credentium in Ecclesia  
 manducat & bibit. Non enim diuersa licet intelligi,  
 quum vnus idemque Christus sit, qui & populum in  
 deserto, in nube & in mari baptizatum, sua carne pa-  
 uit, suo sanguine tunc potauit: & in Ecclesia nunc cre-  
 dentium populum sui corporis parte, sanguinis vnda  
 pascit ac potat. Et mox idem. Mirum certè, incom-  
 prehensibile & inestimabile, Nondum homine uis-  
 sumperat, nondum pro salute mundi mortem degu-  
 stauerat, nondum sanguine suo nos redemerat: & tam  
 nostri Patres in deserto per escam spirituales, potum  
 que inuisibilem, eius corpus manducabant, & eius  
 sanguinem bibebant, velut testis existit Apostolus  
 clamans, Eandem escam spirituales, &c. Et mox i-  
 dem. Ipse namque qui nunc in Ecclesia omnipotentis  
 virtute, panem & vinum in sui corporis carnem, &  
 proprii cruoris vndam spiritualiter conuertit, ipse tunc  
 Manna de cælo datum, corpus suum, & aquam de  
 cælo profusam, propriū sanguinē inuisibiliter operatus  
 est. Et de hoc quidem hætenus. Vbi rogandus es  
 Lector, nobis tam longam istā ad hoc argumen-  
 tum responsionem condones, minimè certè ne-  
 cessariam, nisi nobis esset cum præfractis sophi-  
 stis negotium, quum vnico verbo potuerit os i-  
 sti sophistæ occludi. Petit enim principium suo  
 more,*



more, suam illam præsentiam & coniunctionem corporis Christi nobiscum corporalem per ipsius substantiæ cum nostra contactum & indistantiam somnians: quod somnium certè actua- lem eursionem eius corporis necessariò requirit: sed, ut est merè phantasticum, sic etiam istum ad inanissimas fabulas abducit. Spiritualis autem illa pendens à veritate promittentis Dei, nobis verbo Euangelij testata, menti credentium præbita, & instrumento fidei facta perceptio & coniunctio, ad verum non imaginariū corpus Christi fertur, Patribus quidem promissi, nobis autè suo tempore exhibiti.

*Negat institutionem Sacramenti continere expressam promissionem. Nam hæc verba, inquit, quod pro vobis datur, frangitur, funditur, sunt præsentis temporis. Promissionem autem expressè non fieri, nisi per verbū de futuro. Illud verò quàm ridiculū est. Cōtinetur enim promissio in his Christi verbis, Pro de præsentibus vobis. Itè, In Remissionē peccatorū: quæ continent promissionem de futuro, quia ad omnes electos pertinent. Sed de hac obiectione repetita plura in Tract. D. Sadeelis quando isti proponunt argumenta de corpore Domini iam Glorioso. At reuocamur ad corpus Christi quatenus est passum pro nobis, & eiusmodi cuiusmodi proponebatur in Institutione illa S. Cænæ: & eodem participandum modo.*

*Negant, inquit Gregorius, insciissimè, Verum quod cum Ente cōuertitur, esse Verum communissimè sumptum, ut est quoddam Transcendens. Indigni qui ad Grammaticæ scholam admittantur, &c. Nā Theologi & Philosophi, quando dicunt verum cum Ente*

*Error  
Gregor.  
Pag. 20.  
& 66.*

*Promissio  
de præsen-  
tiis*

Verū &  
Ens con-  
uertitur.

conuerti, de Ente non secundum aliquam rationem certam & determinatam, sed secundum communissimam rationem Entis loquuntur, &c. Ita isti uerū autē falsa presentia Calvinistica nō in Ente solū fundant, sed uera esse dicunt: quia, inquit, nituntur scripturæ ueritate: scilicet. Hæc ille. At Verū aliquid cerū significet, & cum Ente conuertatur: ad id ut Verū habeat rationem Entis, fallum uerō nō Entis. Vnde Thomas in Met. l. 2. *Vnumquodque, sicut se habet ad hoc quod sit: ita etiam se habet ad hoc quod habeat ueritatem.* Aristoteles lib. Metaphyl. 4. & 5. & Thomas apertè docent. Quum considerantur partes Entis, Ens non significare communem & generalem notitiā, nec considerari prout Ens separatam quandam naturam designat, nec quatenus est Transcendens, aut genus aliquod commune: sed ut Ens est substantia uel accidens. Non enim hic agitur de Ente & de Verō, ut abstractè consideratur in mente, sed de Ente & Verō extra mentem, ut re ipsa in rebus existit. Cuiusmodi autem est Ens, eiusmodi est etiam Verū quod cum eo conuertitur. Transcendentia uerō ipsa re idem sunt inter se ratione, siue rōz tantū discernuntur & distinguuntur. Et illa Transcendentia, ne erres Gregori, re ipsa ad unū Deum pertinent: in quo uno idem est Esse ac uerū esse, & unum esse, bonum esse, magnum, &c. Ergo quoduis Ens, siue substantia siue sit accidens, hoc habet, ut uerū sit, quatenus est Ens: ad id ut Ens fundetur ueritate, & ueritas Entis: e quod Arist. in Analyt. prioribus sic exprimit: τὸ ἀληθές τῷ ὄντι ὁμοίως τὰ τέλει: Esse & uerū esse similitur ponit: sic etiam falsum & τὸ μὴ ὄν. Et August.

gust. Omnis Anima, inquit de Gen. ad lit. l. 12. & Solil. l. 2. eò anima est, quò vera anima est. Desinat igitur iste ea quæ prorsus sunt ipsi incòperta carpere, & de iis loqui quæ ab aliquo alio malè delibavit. Cæterùm, verissimè illud fundatur in Ente, quod fundatur in S. Scriptura, extra quam nullum dogma theologicum verum est.

Subdit. *Propositio illa. Omne mendacium est Ens, non est falsa, ut isti autumant, sed est verissima. Nam mendacium est quedam oratio contraria veritati, & oratio est quoddam Ens. Philosophus autè l. 6. Metaph. loquitur de falso, non ut in oratione vocali vel mentali falsa consistit, sed ut ei non respondet obiectivè aliquid tale, quale per eà significatur, atque ad eò ut obiectivè est nihil.* Hæc ille: mendacia de mendacio proferens, ut falsum ac mendax dogma tueatur. Eant igitur nunc qui dicunt Iesuitas non eximè doctos, ac dignos qui iuuetuti præsent, ut ab illis mendacij patrocinium suscipere, & falsa dogmata sophisticè tueri discant. Mendacium autè esse Ens, tam est falsum quàm verum est, nò ens esse Ens: quod Plato in Sophista, & Aristoteles lib. 5. & 9. Metaph. contra Antisthenem (cuius iste errorem hic amplectitur) copiosissimè demonstrant, de quibus sigillatim differere non attinet in re tam perspicua. Gregorius autem planè Sophistam agit, quum ait, *Orationè esse aliquod ens: mendacium esse orationem. Ergo mendacium esse aliquod Ens?* In quibus iste Orationè pro Ente substituens: 4. terminos ponit. Nam oratio quatenus profertur, est quidè aliquod ens: sed nos loquimur, non de ipsa oratione vocali aut mentali, siue de λόγῳ ἐνδιδάκτιμῳ aut προφορικῷ quatenus vi-

Erròr  
Gregorii.  
Pag. 22.

Mendacium non  
est Ens.



delicet profertur ore, aut cogitatur mente, sed de illo quod obiectiue illis debet respondere. Nam oratio falsa & mendax, quid aliud quam τὸ μὴ ὄν repræsentat: utpote cui obiectiue est nihil, ut iste loquitur sese non intelligens? Necessariò igitur illa oratio dicitur non ens, & falsa, quia si repræsentaret Ens, planè esset vera. Res ipsæ verò sunt mensuræ veritatis & falsitatis, non ipsa oratio siue vocalis siue mentalis: ut docet Aristoteles in Metaph. τὸ λέγειν, inquit, τὸ μὴ ὄν μὴ ἔστι, καὶ τὸ ὄν ἔστι illud est ἀληθές: Et dicere τὸ μὴ ὄν ἔστι aut τὸ ὄν μὴ ἔστι illud est ψεῦδος. Alioqui nullum est discrimen inter verum & falsum: nec inter Ens, & non Ens. Cæterùm falsum, seu Mendacium dicitur duobus modis: de Re, & tunc dicitur non Ens: aut in oratione mentali & vocali, h. e. in animo malè res apprehendente, & in oratione prauè illas designante. Ens etiam 5 Metaph. dicitur duobus modis: ut est substantia & accidēs: deinde ut significat propositionum veritatem. Sophisticè igitur iste vnus modum profert, ut alium oppugnet. Mèdacium non est ipsa Oratio sed orationis ψεῦδος. Gregorius igitur malè respondet iis quæ ipsi obiecta sunt in Indice. artic. 38.

*ψεῦδος  
38.  
Quæ  
Gregorii.* Negat (inquit rursus Gregorius) impiè & impèritè, sacra Eucharistiã habere mysterium aliquod sibi propriũ & nõ cõmune cũ Baptismo, & e. ne si propriũ aliquod mysteriũ sit Eucharistiæ, omnes silico intelligãt, mysteriũ Eucharistiæ Calumnistica de vniõne spiritali, esse fictiũ: quadoquidẽ illa vniõ nõ e' propriũ mysteriũ Eucharistiæ, quũ fiat extra illã. Isti, ut Missæ ritũ substantiationem tueantur, peculiare mysterium constituũt in pane & vino liguis S. Cœnæ Sacramen-

mentalibus. Atqui non in signis sed in fidelibus, quibuscum Christus vnitur, querendū est mysterium, quod A post. ad Ephes. nos docet. Iste verò meritiò fuerit dicendus falsò & imperitiè prorsus respondere, qui minorè fructu esse in Baptismo quàm in S. Cœna autumat, & minùs nos in eo fieri Christi ipsiusque beneficiorum participes: quasi minus sit Sacramentū Institutionis quàm Sacramentum Alimonix: & quasi minus sit induere Christum, nasci, & in Christo inseri, quàm Christum ināducare, & ab eo foueri & ali ad vitā spirituale & æternam. Constat autē apud omnes Theologos, illa Sacramēta aliquid habere cōmune cum nudo verbo: vnde fit vt Aug. definiat Sacramentum esse verbum visibile. Nam vtrouique est eadem res significata, nēpe Christus cum suis Meritis. & fidei res eadem offertur sumenda: sed est modus diuersus. Nam in verbo est signum audibile: At in Sacramento est verbum audibile (in verbo & institutione Sacramentali) atque etiam visibile in signis visibilibus. Sic quoque vtrumque Sacramētum habet idem genus, eandē causam efficiētem, eandēque rem significatam: sed vnum proponit Christum lauacrū, sub signo Aquæ: alterum proponit Christū cibum: sub signis cibi & potus. At isti loco istius differentiæ constituunt Transsubstantiationē signorum in Cœna Domini: & in Baptismo ne Consubstantiationem quidem relinquunt: vnde in aliū incidunt peruersissimum errorē, quod minus tribuāt Baptismo quàm Cœne. Meritiò itaq; Hieronymus ad Edibiā scripsit: Nos in Baptismo corpore & sanguine Christi vesci. Et Aug. ait, Nos

G. ij.

per Baptismum esse participes Corporis & sanguinis Christi: etiam antequam panem edamus & calicem bibamus. Et Hilar. de Trin. l. 8. constituit eandem Christi coniunctionem nobiscum in Baptismo & Cœna Domini. Et verò, idem canones pontificiorum agnoscunt, de consec. dist. 2. can. quia passus. *Nulli est aliquatenus dubitandum, unumquemque fidelium corporis & sanguinis Domini, tunc esse participem, quando in Baptismo membrum efficitur charuatis & can. Nulli. idem confirmatur.* Ambrosius in 1. ad Cor. c. 6. tom. 5. *Baptisma est fundamentum Evangelica veritatis. Illic enim omnibus peccatis depositus abluitur credens, iustificatur nomine Christi, & per Spiritum Dei, Deo filius adoptatur.*

Gregorius deinde in Lutherum se converterit, eumque dicit impio & Epicureo spiritu reprehendisse Papam, quod definiuerit animam esse immortalem, &c. à re ad calumnias & falsa crimina delapsus, quum suos errores tutari non potest. Sed crimen quod falsò & impudenter de mortalitate animæ Lutherò impingit, quomodo verè illud à Ioâne 23. Pontifice poterit depellere, qui eo nomine damnatus fuit a schola Sorbonica?

*Gregorius ad calumnias se converterit.*

*Falsahypothesis Gregorii. Pag. 25. & 69.*

*Divinitus potest esse sapor sine substantia humida & sicca terra, quæ est saporis definitio per causam extrinsecam subiectivam & efficientem, quando quidem non est illius essentia intima. Nã etiam potentia quepiam potest divinitus esse nullo suo obiecto existere actu, ut visus nullo existente colore: tamen si nexus sit definitionis inter potentiam & obiectum, & quidã arctior quàm inter substantiam & saporem: idque proprie a quoniam obiectum non est plane quiddam Intimum potentia. Sed hæc isti non intelligent, nisi diligentiùs.*



gentius legant Toletum, &c. Tuam falsam hanc hypothesein, Gregori, facile intelligimus, nec in ea te opus est vt diligentius legamus Toletum vt tu vis. Nam à posse, ad esse, vt loquuntur, non bene concluditur, nec *δυνατόν* potest esse mensura τῆς *ἕσεως*: sed contrà: quod satis intelligunt quicumque veris ac certis, nō falsis hypotheseibus suas argumentationes constituunt. Saporē autem definiri *ἐκ τοῦ ὑποκειμένου* seu per Additamentum substantiæ humidæ & terreæ, nec aliter existere omnibus Philosophis notum est. Nam Sapor sic definitur per suum subiectū, in quo est ipsius causa intima & formalis. Et sic sunt definienda attributa Physica, quorum causa subiectiua non est extrinseca, vt iste Philosophaster Ignatianus dicit, id quod August. expressè docet, epist. 57. his verbis. *Tolle, inquit, ipsa corpora qualitatibus corporū, non erit ubi sunt: & ideò necesse est vt non sint.* Remanent autem sapes vini & panis in signis Sacramentalibus (vt & color & reliquæ qualitates) Ergo & materia illius Panis & vini, ex elementis constituta. Sapes enim non sunt simpliciter in materia vt in subiecto, sed sunt & existūt per mixtionem elementorum & primarum qualitātū, ad eò vt sine materia non possint subsistere. In quo igitur sunt sapes, in eo sunt primæ qualitates naturales mixtæ, & materia ex elementis facta. Non igitur vice versa valet argumentū. Si subiectum & materia sine saporibus esse potest, illos quoq; posse existere sine illo suo subiecto à quo existentiam suam habent. Nam figura externa aut color panis & vini, nequaquā sunt Saporū subiectum, quia accidens physicū non est accidentis subie-

Sapor est  
per materiam.

Etiam, & solæ substantiæ sunt subiecta accidentium *dicturæ*. Ac multò minùs corpus Christi est eorum subiectum: Remanet igitur Panis & vini materia, quæ sit illorum subiectum, etiam post consecrationem. Isti: autem, vt famam doctrinæ abstrusioris aucupetur, quod Monachis est familiarè, ait, *Potèntiam posse esse nullo suo obiecto existente actu, quoniam obiectum non est præter quiddam intimū potentia: visus enim potest esse nullo existente colore.* Atque hæc eadem repetit paginæ 69. quæ ait, *licet in definitionem potentia non veniat obiectū (non minùs quàm in definitionem passionis subiectū) tamen dubitari non potest quin possit diuinitus actu existere potentia sine ullo obiecto suo actu existente, vt visus sine ullo colore vel corpore lucido, Christum induere & panem comedere Angelorum.*

Ex ista autem hypothesi fictitia nihil quidem quod ad quæstionem pertineat efficitur: sed in ea præter comparatur obiectū potentia cum affectionibus, quæ sunt in suis subiectis propriis quandiu sunt, vt est sapor. *διότι* autè esse non definit, quamuis non semper exerceat suam actionem: & quandiu manet subiectū eius proprium, tandiu illa manet. Sublato tamen omni obiecto: hoc est sublata omni ratione potentiatarum, ad eò vt nunquam in actum venire possint: certè ea ratione etiam illæ tolluntur. Nā videndi facultas quæ nunquam quicquam videt, nec quicquā videre vnquā potest: non est visus. Verum iste nescit distinguere inter visum & visionem, nec inter facultatem & ipsius actionem: sed ista omnia (qui fuit Megaricorum sophistarū error) cōfundit & peruertit fictitia & falsa sua hypothesi.

*Ambages. Gregorius de potentia.*

*Per se quidem, inquit, ex illis accidentibus, quæ in Sacramento remanēt sine substantia, sola quantitas est in loco, cōstans trina dimēsiōne, & c. reliqua verò accidentia in loco sunt per quantitatem in qua sunt, & à qua extendūtur.* At Quantitas quæ est accidens, non potest esse illius saporis & coloris subiectū: imò ipsa Quantitas naturalis & Physica (nō enim hic de Mathematicis abstractionibus agitur) nunquam existit sine substantia materiata. Nā quantitas trinam habet dimensionem, per & propter materiata substantiam, in secundo modo per se: ad eò ut re ipsa definiri aut existere non possit quantitatis trina dimēsiō sine substantia corporea, seu materiata, quæ habet partes extra partes. Sed isti Sophistæ solent in hoc argumento confundere: primum, corpus, quod interdū pro substantia corporea, interdum pro quantitate continua (quæ longitudinem, latitudinem & profunditatem habet, & quæ est accidens corporeæ substantiæ) usurpatur. Item quantitatem Mathematicam confundunt cū Physica, quæ non in mente, sed reuera & actu in substantiis existit. Deinde in vocabulo Loci insidias struunt, quasi hinc nō agatur de re locata, seu de vno corpore quod vnum locum occupat: sed Locū hinc usurpant & confiderant ut est attributum vniuersale omnium corporum Naturalium. At hinc agitur de vno corpore, & de circumscriptione, & de Materiata substantia quæ sit actu, & de accidentibus quæ sunt actu. Sublata autem substantia, illa accidentia nō possunt actu existere in loco.

*Quantitas  
nō est sine  
materia.*

Ceterum quum iste rursus dicit, *Corpus Christi succedere panis sub accidentibus illius panis*, non



potest effugere quin constituat motum localem in transubstantiatione. à quo tamen Thomas & reliqui Scholastici ita abhorrent, ut disertis verbis asserant: *motu locali posito, transsubstantiationem non posse fieri.* Tollat igitur iste Monachus succedendi verbum, ut illis se reconciliet.

Pag. 26.  
& 70.

*Reprehendite me,* inquit iste, *quòd dixerim, Animam rationalem in mortuorum Resurrectione successuram substantialiter in eadem materia forma cinerum seu cadaveris, quia, inquit, anima informat corpus. Formæ cineris seu cadaveris, vult succedere formam, nempe animam: quasi cinis seu cadaver non sint Materia ipsa post Resurrectionem Informanda. Atqui anima nō est alterius partis hominis, ac multò minùs cadaveris, sed totius compositi, nempe hominis forma. Imperitè igitur ludit homonymià vocabuli formæ. Aliter enim Anima dicitur esse forma hominis: aliter dicitur corpus & eius partes in morte suam formam in cineres seu pulverem mutavisse: aliter pulverem mutaturum suam formam post resurrectionem, ut redeat in membra sive sine victora. Quis igitur patienter ferat istum Monachum formas elementorum, siue rerum quæ ex elementis constant, tã ineptè & miserè confundentem cum forma hominis, quæ inter formas sola separatur & reuera existit: pag. tamen 70. dicit *Nos mentiri, se non dixisse Animam futuram loco cinerum, sed loco formæ cinerum cui succedet in eadem materia,* & ita ineptè dicit se non dixisse id quod hic dicit.*

Quasi comitari, forma est periculosa.

Reprehendebatur Gregorius in Indice, art. 55. quòd dixisset, *Divinam & humanam naturam Christi sese in Eucharistia quasi comitari.* Respondet nunc:

nunc: Nos nō intelligere, ipsum de utraque natura lo-  
 qui, nō tam ut ambæ sunt inter se vnite hypostaticè,  
 quam ut ambæ propter eam vnionem sunt in Eucha-  
 ristia. Quæ ipso sese inuicem in Eucharistia Quasi co-  
 munitur, & istud vocabulum Quasi Ciceroni esse fa-  
 miliare. Tibi obiectum est, Gregori, periculosam  
 esse phrasin Comitandi in vnione hypostatica, quæ  
 videtur inferre duas Personas, & apostolus Nesto-  
 rianam proponere duarum in Christo Natura-  
 rum: sicut si duo ambulent, quorum vnus alte-  
 rum comitetur. Quod si refers Comitandi voca-  
 bulum, non ad ipsam vnionem hypostaticam,  
 sed ad id quod sequitur ex hac Vnione, vt pro-  
 pter eam dicatur ibi esse humanitas, vbi est diui-  
 nitas in Eucharistia, non oportuit adhibere par-  
 ticulam Quasi, quæ est similitudinis, vel immi-  
 nuendi, vel dubitandi, & quæ nunquam in rei na-  
 turam penetrat: ac proinde absurda est in hoc  
 tuo argumento. Deinde personalis vnio non ef-  
 ficat, vt vbiq̄que est Deitas, ibi sit etiam Huma-  
 nitas, propter imparitatem Naturarum, quia vna  
 est infinita, altera est in loco. Quæ ratione ortho-  
 doxi refutant Vbiquitarios obuiantes discer-  
 pi naturas & separari Personam, nisi vbiq̄que  
 est Deitas, ibi quoque constituamus Humanita-  
 tem. Valet quidem vt vbiq̄que sit humanitas,  
 ibi sit Deitas: quamuis Infinitas vnus Naturæ  
 non faciat vt vbiq̄que sit Deitas, dicendum sit  
 ibi Humanitatem esse. Verum enim est Deum v-  
 bique esse Deum & hominem, non tamen secun-  
 dum humanitatem.

Ait, Chrysostomum dicere, Deitas in seip̄i carni Chri-  
 sti, quia insignitur signo carnis quidem, sed ita vt signa

*Chryso-  
sti locus.* *carnis ipsa caro intimè coniuncta sit: alioqui, inquit,  
ineptè à Chryso-  
stomo hac locutio usurparetur. Est  
mera petitio principij. Veteres enim figurato il-  
lo dicendi genere significarunt veram corporis  
Christi Spiritualem manducationem. Atqui ut  
id verè fiat, non est necesse Christi corpus actu  
subesse signo, ut isti nugantur: quia manducatio  
Signi oralis, non est manducatio corporis Chri-  
sti ore Animæ, quamvis simul fiant à fidelibus in  
Sacramenti usu legitimo: hoc est, tam verè cor-  
pus Christi datur fideli menti spiritualiter su-  
mendum, quàm signa corpori præbentur corpo-  
raliter sumenda: mediante animâ, fructus perce-  
ptionis redit ad corpus: nec sequitur: pes nutri-  
tur, ergo comedit. Quòd ad Chryso-  
stomum attinet in illo ipso loco ad pop. Ant. hom. 61. statim  
subiungit. Quotquot, inquit, participes huius corpo-  
ris efficiuntur: quotquot sanguinem degustamus, cogi-  
temus quòd illum sursum sedentem, qui ab Angelis  
adoratur, incorruptibili vicinus virtuti, hunc degu-  
stamus. Hæc ille. Et profectò ineptissima est hæc  
ratiocinatio. Dentes infigimus signo, non autem  
ipsi carni Christi, quia caro Christi intimè con-  
iuncta est cum signo. Imò verò inde sequeretur,  
nos non signo tantum, sed ipsi Carni dentes in-  
figere: ut suprâ iam isti obiecimus.*

*Gregorius* Subiicit: *Non comparâmus corpus Christi cum a-  
nima in omnibus: sed in hoc, quòd sicut ipsa, non obstâ-  
Christi est te illius unitate est in toto & tota in qualibet parte: a-  
se in Eu- deoq; in plurib: quarum nulla desinitur: Ita corpus Chri-  
charistia stus est in plurib. partib. Eucharistie: & desinit in v-  
ut Anima est in plurib. partib. Eucharistie: & desinit in v-  
est in Cor- na Eucharistia, ut anima est desinit in vno corpore:  
pore. & extra unamquamq; Eucharistiam, atq; in nulla  
desi-*



*definitio.* Annò est in istis verborum involucris repugnantiæ esse & non esse in Eucharistiis definitio? Porro, si non definitur in vnaquaque Eucharistia, quo modo igitur Cõtinetur? Nam plus est Contineri. Deinde nulla hic esse potest convenientia, aut similitudo cum Anima. Anima enim dicitur esse in toto Corpore, quia informat totum corpus vnum numero. Sed corpus Christi non informat vnã Eucharistiam, uedum innumerabiles. Rursus: quomodo illa similitudo Animæ pluribus conuenit Eucharistiis? Nam vt illa similitudo valeret, oporteret Eucharistiam esse vnum aliquod continuum: & vnã tantũ Eucharistiam. At isti non tantũ habent innumerabiles hostias, imò etiam Missæ hostiam in tres partes diuidunt, aut etiam in plures. Nam si Corporis partem aliquam, vt manum, à reliquo corpore separes, tunc anima partem illam non sequetur, sed deseret, manens in reliquo corpore. Quòd si isti ad mysticum corpus refugiant, tum illam suam manducationem oralem abdicabũt, & Spiritualem cogentur fateri Christi manducationem, qua vnã Christi corpus minimè multiplicatur, sed totũ à quolibet fidei verè sumitur, quia fideles omnes in vnum corpus mysticum coalescunt. Somniat igitur iste quum res adedò dissimiles comparate studet.

Repetit iste locum Augustini quem supra exposuimus. hìc addit etiam. *Instrumenta non attingunt effectum principalem: sed Instrumentaliter, vt quiddam primum efficiunt, & vt usurpantur à causa principali, illum attingunt. Sed in rebus naturalibus, naturaliter: in effectibus spiritualibus, Instrumentaliter & supernaturaliter.* Referenda sunt

*Instrumē-  
tū & In-  
strumenta  
liter di-  
stinguun-  
tur.*

huc quæ suprà iam de hac re diximus. Porro In-  
strumentum, & instrumentaliter confundit. In-  
strumenta quæ sunt corporea, re attingunt dun-  
taxat corpoream, suâ essentiâ vel materiâ: sed ea-  
dem, non attingunt substantiam spiritualement: vi-  
delicet Animam, vt qui tangit corpus, non tãgit  
animam. Sed illud *Instrumentaliter* indicat finem  
& vsum: atque eo modo Instrumenta Animam  
fidelis afficiunt, quum anima inde ad spiritualement  
ac veram Christi corporis manducationem eue-  
hitur: vt sonus doctrinæ Euangelij aures afficit  
& sensus corporeos: sed species demum intelli-  
gibilis ad Animum penetrat. Hinc August. Trac.  
79. in Ioan. *In ipso verbo*, inquit, *aliud est sonus trã-  
sians, aliud virtus manens*. Ita anima id quod sibi  
proprium est percipit: & corpus quod sibi con-  
uenit. Intelligibilia videlicet Intellectu: sensibi-  
lia sensu percipiuntur. In Instrumentis autem à  
Spiritu S. in Baptismo & Cœna adhibitis, est ali-  
quid Intelligibile: alioqui non essent Signa & si-  
gilla: est aliquid etiam sensibile: alioqui nihil ef-  
set corporeum & visibile in ipsis. Ergo non ma-  
gis recipitur res intelligibilis à corpore, quàm  
res sensibilis & visibilis ab Animo.

*De Cõtra-  
dictione.*

Imperitus iste Clericus, negat Contradictio-  
nem esse, quum duo simul de eodem affirmantur,  
quorum vnum alterius naturâ tollit. Ignorat e-  
nim Aristotelem sub finē libri de Interpretatio-  
ne docere, Propositiones affirmatas, quæ ita op-  
ponuntur inter se, vt vna alteram euertat, Cõtra-  
dictiones esse, quãuis nõ sit Negatio expressa. Sic  
etiam contradictio est, quum idē & diuersum de  
vno eodemque Indiuiduo simul dicuntur, ita vt  
vnum

vnum immediatè tollat alterum. Nam vt verum est hoc Axioma, καὶ πάντες φάναι ἢ ὀπορῶσαι ἀληθές: Ita etiam in rebus omnibus locum habet ei correspondens Axioma, καὶ ἂν πρὸς ἅπαν τὰ ὕτῃ ἢ ἕτερον: Itaque contradictoriæ sunt istæ Propositiones: Petrus est mortuus Romæ: Petrus est mortuus Antiochiæ, quæ quidem istis æquivalent. Petrus est mortuus Romæ. Petrus non est mortuus Romæ. Contradictoria quoque sunt ista Enuntiata de corpore Christi (quod est vetū Individuum, & vnum quid actu existens finitum & Locale) Corpus Christi est in vna Eucharistia: Corpus Christi est in Cælo simul eodémque tempore: Et est quoque simul eodémque tempore idem corpus in Eucharistiis innumerabilibus.

*Corpus Christi, inquit iste, nõ definitur nec capitur definitiue ab illis locis singulis, in quibus est, ratione Eucharistiæ, sed bene ab omnibus simul locis indiuiduis in quibus est presens, quandoquidẽ est extra singulos, sed non extra omnes. Itẽ inquit iste, Corpus Christi est in omnibus locis finitis in quibus est definitiue, non tamen in quolibet illorum locorum determinatè, quia non est extra omnes illos locos, est tamẽ extra quemlibet determinatè.*

Errores  
Gregorij.  
Pag. 31.  
32. 70. 71.

Obsecro, Gregori, num istas repugnantias & Principij petitiones proponis vocabulorũ communi notione, quã sæpius soles à nobis exigere? Ac primum quidem iudicent Lectores, num rectè neget iste de Indiuiduis omnibus locis, id quod de omnibus simul affirmat: & quomodo etiam stare possit cum illis id quod isti dicunt, corpus Christi cõtineri in singulis Eucharistiis, neque tamen ab illis locis singulis capi definiti-

Christus  
nõ est defini-  
titiue in  
Eucharistiis.



uè? Deinde quis orthodoxus tibi concedet, corpus Christi esse in omnibus Eucharistiis, siue in omnibus locis finitis, in quibus illud dicis esse definitiuè, non tamè determinatè? Rursus, si corpus Christi est definitiuè in illis omnibus locis finitis in quibus est, vt loqueris: nonne ibi etiam est determinatè & circūscriptiuè, quom finitus locus, sit idem ac determinatus & circūscriptus? Quod si rursus neges definitiuè tibi idem esse ac determinatè: certè definitiuè perperam refers ad Christi corpus. Nam definitiuè alicubi esse (nisi significet determinatè) ad solas substantias spirituales refertur. Si denique tuum illud definitiuè refers ad definitionem locorum in quibus dicis Christū esse definitiuè: certè tūc illa definitio loci nihil aliud potest cōcludere quàm corpus Christi esse ibi finitè, determinatè & circūscriptiuè, ac proinde visibiliter, corporaliter, sensibiliter.

De eodē argumēto addit iste pag. 70. & 71. *In Eucharistia quantitas est Actū dimetiens Accidentia sine substātia, nec de qualicūque quantitate hoc dixi, inquit iste, Nō enim nego, Corpus Christi in Eucharistia esse præditum suis dimētionibus quantitatis, & esse circūscriptum suis dimētionibus, sed nego quātitatem in Eucharistia, actū dimetri substātiā.*

*Dimensio  
non est si-  
ne sua ma-  
teria.*

Non respondes autem, Gregori, ad ea quæ tibi obiecta sunt in Indice Articul. 50. & 53. Præterea, Thoma ipso teste Opusc. 32. *Omnes dimēssiones, etiam illæ quæ dicuntur indeterminate, sunt Accidentia quæ materiam sequuntur.* Vbi igitur nulla est materia actū existens, ibi nulla est dimensio actū: & vbi non est veræ materiæ dimensio actū, certè ibi nō est materia. Nam cuiusmodi est ma-  
teria

teria actu existens, eiusmodi etiam est eius extensio per partes, eiusque vera dimensio. Quamobrem si in Signis sacris est extensio per partes, & vera dimensio actu veræ materiæ panis & vini: Vera igitur ibi est actu materia panis & vini: & si ibi existeret verum Christi corpus naturale & materiale, id necessariò extenderetur per veras veri corporis Christi partes, ac necessariò veram dimensionem illi vero corpori convenientem haberet. Ergo sublato vno, tollitur dogma istorum de Transubstantiatione & inexistencia, eademque ratio obiectiunculæ refelluntur.

Addit: *Præsentiam in loco esse quiddam posterius corpore: & satis illi esse vt firmiter concludat: posse diuinitus substantiam indiuiduam corporis existere, si e tali præsentia.* At hic agitur de eo quod re ipsa sit actu præsens, nõ de eo quod isti somniant fieri posse: quorum commentis non se Dei veritas subiicit, quæ non paritur veram rei naturam euertere. Porro mutat etiam quæstionem istius responsio. Quæritur enim an semper & vbiq; conueniat vero corpori vt sit locale, quod nos asserimus vero corpori inseparabiliter & reciproçè cõuenire: quia corpus causam formale habet in sese dimensionis & localitatis. Neq; potest hic considerari corpus aut locus, vt genus aliquod logicum, aut vt aliquid abstractè sumptum: sed vt corpus est indiuiduum, & vt eius locus seu localitas, & circumscriptio est eius accidens indiuiduum. Nec istud aptè dicitur *locum nõ cõstituere essentiam rei corporeæ.* Nam quum definitio essentialis corporis, siue Humanitatis Christi proferenda est: tunc essentialia partes ex quibus con-

stat, in primo modo per se, sunt quidē profere-  
 dæ. Ex qua etiã definitione consequitur necessa-  
 riò, Christi corpus habere veras partes extra pat-  
 tes. Nam dimensio, localitas & circumscrip-  
 tio sunt reciproca affectiones seu *καθ' αὐτὸν* vel attribu-  
 ta propria quæ inhærent perpetuò sũntque insti-  
 tuta *ἀχωρίστως* omni substantiæ corporeæ in secundo  
 modo *καθ' αὐτὸν*. Itaque ritè in hac quæstione  
 demonstramus ex natura veri corporis Chri-  
 sti: corpus Christi esse causam formalem in se-  
 cundo modo dicendi per se, dimensionis, præ-  
 sentiæ & localitatis ipsius quæ est actu: ad eò vt  
 illa sint reciproca & perpetuò coniuncta. Itaque  
 ex præsentia, localitate & illius veris dimensio-  
 nibus Corporis, non colligimus essentiam cor-  
 poris: sed ex vera corporis essentia demonstra-  
 mus illa attributa: vt doceamus Christum non  
 esse Ibi, nempe Sub speciebus Panis & vini, vt i-  
 sti dicunt. Non igitur hîc cõsideramus Locũ si-  
 ue potiùs Localitatem, vt est accidens extrin-  
 secum, sed vt est accidens propriũ, reciprocum  
 & congenitum corpori Christi, de quo expres-  
 sè August. epist. 57. *Spatia locorum tolle corporibus,*  
*nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt.*  
 Quum autè corpus Christi sit vnicum: vnica est,  
 eodem tempore, vera localis ipsius præsentia, nõ  
 plures. Nam tot sunt spatia diuersa, & tot locales  
 præsentia diuersæ, quot sunt corpora: & vicissim.  
 Et quum cõstet ex Scriptura, Christũ secundũm  
 Humanitatẽ verè ascendisse suprã omnes cœlos:  
 nec inde reuersurũ, nisi vltimo die: meritò con-  
 cludimus nusquã alibi quàm in cœlis ipsum ab  
 ascensione fuisse, & nunc esse & futurũ ad vlti-  
 mum



num vsque diem, nedum vt sit in terris, & pluribus quidem simul in locis.

Sed & iste dicit æquiuocè & sophisticè: *Præsentiam in loco esse quiddã posteriore corpore: & præsentiam corporis sub Accidentibus esse posteriorem actu corpore, quod præsens est.* Nam prius, posterius & simul dicuntur multis modis. At corpus, & eius dimensio vel localitas qua præsens dicitur, siue eius circumscriptio, sunt simul tempore, simul Actu & secundum ordinem in Essendo, & simul locali ordine secundum naturam. Sed corpus dicitur esse prius Naturã, quatenus est causa præsentia. Sic omnia propria dicuntur esse posteriora Naturã suis subiectis: quia subiecta sunt eorũ causa: sed tamen sunt simul Actu & Tempore: & vnum idẽ nque numero constituunt. Quinetiã istud vt suum somnium probet, profert simile Ignis, *Qui, inquit, simul est calore præditus, & tamen ita vt calor accidens sit natura posteriore quàm substantia ignis.* Atque ita & imperitè & sophisticè confundit id, quod est Posterius naturã (vt explicatum est) & id quod est præsens Actu ac simul tempore. Nec enim fuerit præsentia Corporis, si non sit simul corpus, & præsentia corporis. Hoc autem esse referendum ad tempus, ad locum & rationem & locum certum, illi ipsi agnoscunt, quum dicunt Christi corpus præditum suis dimensionibus *in Instanti in panem cõuerti, & sub accidentibus Panis existere ac cõtineri.* Instans enim necessariò de tempore dicitur. Et tamen iste thrasonicè & ridiculè (quid enim aliud facerent isti Iesuitæ qui à milite quodã glorioso originẽ suam ducunt) nos repellit à Baccalaureatu. Atqui Ag-

nos potius Arcadicos esse oporteret, qui laurea ista coronarentur, nisi supra magistrum sapiant. Et sanè gloriosum est & honorificum à tam pravis & imperitis Monachis vituperari.

Pag. 34.

35-36.

Hypothesi  
Chimæ-  
rica Gre-  
gorii.

Repetit etiã falsas suas hypotheses pro argumentis: & in iis euoluendis multas paginas imò ferè totum librum suum implet: Nempe quòd *Deus possit producere aliquod corpus quod non mensuraretur tempore sed ævo. quod Deus possit constituere plures albedines simul in eodem corpore, Deum posse creare lapidem aureum: vel duas columnas aureas nullo loco circumscriptas, &c.* Refellant isti contradictionè, &c. Ista verò quorsum refelleremus? Nam eorum quæ non sunt, nulla est demonstratio: Chimærica sunt autem ista, & delirantis somnia, quibus si immoraremur nèpe cum illis *ὄναρ ἢ χύμαρ* sectaremur: Recte autem docent Philosophi: Singularia extra mentem posita, & seipsis existentia esse regulam & mensuram conceptuum simplicium verorù: sed falsos & chimæricos esse illos cõceptus omnes qui illis non nituntur. Absit ergo vt in auia istum persequamur. Non moramur etiam banc istius quæstionè. *An implicet contradictione in creaturam aliquam esse factam, & tamen esse factam ab æterno:* quam, inquit, nunc prætermitto donec isti diligentius studeant: At qui studio nobis non opus est, vt hæc tua portenta refellamus, & insanos esse demonstremus quotquot arbitrantur aliquid esse ab æterno quod nõ sit Deus. Nec opus est singulari quapiam & noua doctrina, vt inanem hanc tuam quæstionè esse ostendamus, ac incõmodis obruamus. Sed nouimus Monachalè arrogantiam & vanitatem qui his tenebricosis,

Quæstio  
vana  
Gregorii.

inc-

ineptis, & futilibus quæstionibus proponendis, ac nunquam resoluendis, famam doctrinæ apud imperitos quæritant. Et certè ex eiusmodi Scholasticorum quæstionibus, quas Quodlibetarias vocant: perit inter illos vera Euâgelij doctrina. Itaque nec lapidem illum Sisyphium fabulosum volumus tecum versare: Columnas etiam illas tuas aureas per nos tibi licebit cum Iesuiticis opibus extra Columnas Herculis transportare. De his igitur tuis nugis, somniis & hypothesebus fictitiis satis superque.

*Quum æternitas, inquit Iesuita, nõ sit causa nec ratio diuinæ unitatis: sed sit prior ratio unitatis quàm æternitatis: indoctè isti dicunt Deum ideo dici unum, quia est æternus: sed est vnus formaliter, quatenus est indiuisus in ratione diuinæ essentia. Tu vero non tantum hæc dicis indoctè, sed etiam sycophanticè. Nam verba illa, Deus est vnus, quia æternus, immensus, solus, & cæt. articul. 60. Indicis, non indicant causam aliquam in his Attributis Dei Essentialibus, sed Reciprocatio-nem. Nam quum iste dixisset: corpus unum in ratione unitatis cum Deo conuenire, quia Deus vnus est. inter alia obiectum est, Deum dici vnũ supra id quod vnum dicitur, &c. & dici unum, quia æternus est, quia infinitus, quia solus. Corpus autem dici unum, non quia solum, sed quia Indiu-uiduum. At iste hæc omittens, profert causam vnitatis in Deo. Atqui nihil est in Deo quod non sit Deus: Æternitas, vnitatis & reliqua attributa Dei essentialia, sunt ipse Deus: ac propter ipsius indiuisibilem essentiam, vnus Attributum Dei essentialiale, nõ potest causa alterius dici sine blas-*

*Deus  
quomodo  
vnus.*



phemia, sed rectè Reciprocationis Identitas ab vno ad aliud potest doceri. Et sic quidem iste, bellè scilicet, obiectioni respondit.

Abstra-  
ctiones  
Gregorii.

*Isti (inquit rursus Gregorius) nō sunt valde af-  
fueti abstractionibus Metaphysicis. Nam vt in ratio-  
ne communissima & transcendēte unitatis, omnia  
entia cum Deo cōueniunt: ita etiam in ratione com-  
munissima entis & essentie, nō autem in ratione ef-  
sentie, & unitatis diuine: quod hactenus isti non in-  
telligebāt. Nihil opus est abstractionibus Meta-  
physicis vt tuas nugas intelligamus Valentine:  
quarum quā sū imperitus satis ex tuis scri-  
ptis indicas. Probanimus autem eiusmodi Attri-  
buta Entis tribuenda esse rebus, quatenus sunt  
substantiæ vel Accidentia. Sicut autem Commu-  
ne opponitur proprio, ita communissimum id  
dicitur quod quā longissimè abest à proprio.  
Quod si verum est, Ens & Vnum & Verum com-  
munissimè dici de Deo, consequetur ea minimè  
omnium esse propria Deo: sed Deo maximè  
cum rebus creatis esse communia: quæ est mani-  
festissima blasphemia. Attributa igitur illa non  
sic Deo ac rebus creatis conueniunt, nec possunt  
dici de Deo & de illis Vniuocè, nec communis-  
sima ratione Essentiæ: sed dicuntur de rebus crea-  
tis tanquam ἀφ' ἐνός, & ἑπὶ ἐν tantum: quod quā  
non intelligas, mirum non est quod sic te deri-  
dendum proponas: & ridiculè tuum Baccalau-  
reatum subinde ostentes.*

Pag. 37.  
& 38.

*Si materia est principium indiuiduationis, inquit  
iste, non autem quantitas: ergo substantia indiuidua  
per principia sua substantialia intrinseca, non autem  
per dimensiones definitur. Hæc rursus ineptissimè.*

Hoc

Hoc enim illi obiectum est. Vt propriè limite-  
tur ac finiatur Indiuiduum, ad materiam actu e-  
xistentem deveniendum esse, quæ est principium  
Indiuiduationis, inquit Thomas. Vbi *limitetur*  
ac *finiatur* idem significat quod *determinetur*: nõ  
autem quasi eius definitio essentialis inde profe-  
ratur. Ex quo apparet istum obuia quæque teme-  
rè arripuisse: & ea solertia præditum esse, ut non  
intelligat quânam Limitari, finiri, aut determi-  
nari differat ab rerum definitione essentiali.

In Sacramento quidem, inquit iste, *Christus se-  
cundùm se quoque Spiritualiter uniuir cū animo, ex-  
tra Sacramentum autem secundùm donum gratiæ.* Su-  
prà probaui ex sacra Scriptura, istos homines di-  
scerpere quæ sunt, tum in Christo, tum in creden-  
tibus nexu indissolubili coniunctissima & per-  
petuò reciproca: nempe, Christi perceptionem  
tum secundùm se, tum secundùm effectum, siue  
secundùm dona gratiæ: & quidem utramque, tū  
in simplici prædicatione Euangelij, tum in Sa-  
cramentis fieri, idque Spiritualiter non Oraliter:  
sed in Sacramentis Spir. S. uti præter verbum, an-  
nexis verbo sigillis visibilibus, quibus excitata  
fides adolescat & confirmetur: vnde fiat ut ar-  
ctior sit illa credentium cum Christo *nocturnia* in  
Sacramentorum usu, quàm in simplici verbi au-  
ditione: sumptione videlicet signorum, propter  
sacram, mysticam, certissimam, & efficacissimam  
signorum & rerum significatarum relationem,  
spiritualem illam sumptionem Christi & secun-  
dùm se & secundùm effectum in animo creden-  
tium obsequante, non secus ac sacra illa signa  
visibilia certò carnem illam Christi pro nobis

Materia  
determi-  
nat indi-  
uidua.

Gregorii  
in Theo-  
logia.  
Pseudo-  
Hieron-  
ima.

traditam, & sanguinem pro nobis effusum menti nostræ repræsentant. Quum autem illa signa non sint id quod sunt, id est Sacramenta, eorum intentione à quibus sumuntur, sed ex Dei ordinatione: quanuis infideliter accedentes ea non referant ad usum & finem suum: non tamen desinunt esse in sese, & quòd ad Deum præbentem attinet, vera sigilla corporis Christi, ac certissima promissionum Euangelij pignora, quorù manducatio est semper in S. Cœna Sacramentalis, ob signans manducationem Spiritualem, qua tamen sese priuant increduli.

*Præsentia diuersis modis dicitur.*

At Gregorius existimat magnâ esse repugnantiâ in eo quòd dicamus præsentiam Spiritualem Christi corporis verâ esse, quoties manducatur Christi corpus à fidelibus: & tamē non esse corporalem Inexistentiam, siue præsentiam localem cum signis, Atqui præsentia spiritualis nõ fit per corporalem & localem modum: quoniam non esset spiritualis, sed corporalis & visibilis. Nam cuiusmodi est præsentia, ita & modus & ratio præsentia: ac vicissim. Et cuiusmodi est perceptio corporis Christi, eiusmodi etiâ est eius præsentia. Præsentia igitur spiritualis (vt supra demonstratum est) nequaquam locorum indistantiam spectat: neque localis ratio, indistantia, aut inexistencia corporalis in eius constitutione veniunt: vtpote quæ ad præsentiam corporalem pertineant. Quid ergo? Certè præsentia est vocabulum homonymum. Nam aliter dicitur de mentali, mystica, & Spirituali Præsentia, quæ fit per operationem Spiritus Sancti: aliter de Corporali quæ fit per indistantiam localem, in-existentiam

*De præsentia corporis Domini.*

& at-



& attractum. Idcirco dixit Christus, *opus est vobis ut abeam*. Ita vt illa præsentia per hanc fieri nequeat.

Valentianus præterea nobis impudenter asserit quod dicamus, *Christum esse tantum præsentem in cælo. Hoc enim non Angelos, sed Demones ore Calumnistarum dicere*. Ab ista blasphemia, cuius ipse conuictus est, nos vindicant eruditi nostrorum Tractatus orthodoxi. Iste verò vocẽ Christi, qua Persona ipsius denotatur, perperam confundit cum vocibus quæ ad alteram ex Naturis eius pertinent: quũ vocabula Abstracta Orthodoxè aliter vsurpentur quàm Concreta, quoties de Christi Persona, & eius Naturis agitur. Periculosam ergo formulam solet iste vsurpare quũ ait *Christum, & Christi Substantiam realiter abesse*: qua de re iam supra.

*Calumnia cum impudencia coniuncta.*

Agnoscit tamen *veteres fideles coniunctos fuisse cum Christo, sed per fidem & secundum effectũ*.

Agnoscit etiam, *fidem non intercludi spatio temporis*. Atqui si fides non intercluditur spatio temporis, multò minùs intercluditur spatio loci, vt Christus dixit. *Beati qui me non viderunt, & tamen credunt: Itẽ, opus est vobis vt ego abeam*. Adde proprietatem fidei, de qua Heb. ii. quæ est hypostasis & demonstratio seu argumentum eorum quæ non videntur. Ergo coniungi secundum effectũ, non potest dici, nisi per participationem beneficii & meriti in cruce à Christo pro omnibus electis peracti. Non igitur Veteres per fidem minùs vnici fuerunt cum ipsa Christi humanitate secundum se, quàm cum ipsius Morte, alioqui Christi Mors à Christi humanitate separaretur. Sed iste

*Fides vt tempore non intercluditur, sic nec loco.*

ignorat, quæ sit proprietas, vis & natura veræ fidei, quam illis suis verbis, pro spe nuda & re imaginaria usurpat.

Addit Gregorius *corpus Christi ex æque percipi* vt Concomitantie dogma quo Transsubstantiatio defenditur, stabiliat. Atenim omnes fideles ad corpus Christi, & ad mortis eius fructum percipiendum, eodem modo reuocantur, sed dicimus Concomitantiam Pontificiam excludi à Sacramento. Nam in simplici verbo, corpus & sanguis Christi semel & simul præbentur, ac vnica fidei sumptione percipiuntur. At in sacramento, proponitur corpus distinctum à sanguine, respectu signorum: quæ non vna sumptione percipiuntur.

*Calumista*, inquit, interdum deponit larvam & dicit quod sentit secul. nullam se agnoscere præsentiam veram corporis Christi in signis illis Eucharisticis. Hæc sunt verba Indicis art. 37. Dicimus fideles, quum sacra signa percipiunt corporaliter, rem significatam simul percipere, nempe spiritualiter. Iste verò somniat nos vocabulo *Simul* intelligere cõiunctionem quandam localem & crassam signati cum signo, & nescit distinguere inter *quæ* & *quæ*. Nec enim necesse est, quæ simul sunt tempore simul etiã esse loco. Hæc ibi. Quibus verbis significatur discrimen cõstitutum esse inter præsentiam Spiritualem, & præsentiam, seu indistantiam localem. Hæc enim præsentiam corporis Christi cum signis sacre Cœnæ negamus: Isti contra, præsentiam spiritualem per indistantiam localem fieri autumant, quæ sit illius perceptionis modus & conditio. At sic isti natu-

ram

ram Sacramenti peruertunt, præsentia specie illa quæ Spirituali nostra cum Christo coniunctioni nullo modo conueniat. Deinde naturam fidei (quæ est hypostasis rerum quæ sperantur & coniectio eorum quæ non cernuntur Hebr. ii.) imaginarium aliquid esse, vt & spiritualement nostram cum ipso Christo coniunctionem, exitiali errore putant. Signis non tantum superstitiosè, sed etiam Idololatricè adhaerescunt, ea pro rebus significatis vsurpantes: ac denique veram veri corporis Christi naturam tollunt, vt sæpius ab Orthodoxis est demonstratum, inter quos extant Quatuor eximij Tractatus Nobilissimi. D. Saadeelis piè defuncti: nempe, de Sacrificio Missæ: de veritate humanæ Naturæ Domini: de Spirituali & de Sacramentali Manducatione: ad eò vt nemo iure possit excusationem ignorantie prætexere.

Supereft, vt paucis indicemus originem erroris eorum qui veram coniunctionem nostram cum ipso Christo per fidem re ipsa fieri non agnoscunt: sicuti supra, fontem deceptionis eorū qui in Sacramentis prauè eandem constituunt, demonstrauimus. Monent enim philosophi & rectè: omne falsum deprauare quidem intellectum, sed primam falsi causam infinitos errores gignere, quorū origo prima ritè cognita si tollatur, reliquis vitis facile occurri, imò eorū ramos omnes quasi vno ictu amputari. Fidei donū, S. Spiritus in hominis anima effectum ac præcipuum ipsius in nobis opus, illis qui orthodoxam de fide doctrinam oppugnant, nihil aliud est quàm quædam Imaginatio, aut aliquid instar opinionis in illa fa-

*Fidem nō esse Imaginationem neque in Imaginatione.*



cultrate quæ imaginatio & phantasia dicitur. At  
 longè aliter S. Scriptura statuit de fide per quam  
 Christo coniungimur ac iustificamur, quum di-  
 cit illam esse *πληροφορίαν*, id est plenissimam cer-  
 titudinem firmissimè promissiones in Christo  
 apprehendentem: & *απειθισιν*, hoc est, con-  
 stantè fiduciã: & *ἐλπίζουμένων ἐπέσασιν*, h. e. firmi-  
 tudinè, fulcrum & stabilitatè. Et Galat. 3. 26. *Filij*  
 Coloss. 2. 2. *Dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu*. Per fidem  
 1. Theff. 1. 5. sumus inserti & insiri Christo Rom. 11. 17. & 13. 14.  
 1. Cor. 3. 4. Eadem Fides Ephes. 4. 16. dicitur *ἀφ᾽ ἡ* cõiuuctio-  
 Rom. 4. 20. nis nostræ cum Christo. Et pro eodem: *σύμφυσις*  
 Heb. 6. 11. Rom. 6. 5. Act. 20. *Accipiãt remissionem peccatorum*  
 Heb. 10. 22. *& sortem inter sanctos per fidem quæ est in Iesu Chri-  
 sto*. Rom. 1. *Corde creditur ad iustitiam*. Rom. 8. 11.  
 Est Spiritus S. inhabitãs in nobis. 1. Ioan. 3. 9. *Se-  
 men Dei manens in nobis*. Rom. 5. Per fidem ha-  
 bemus accessum in gratiam, per quam stamus. E-  
 phes. 1. 13. 2. Cor. 1. 12. Dicitur *Arthabo Spiritus S.*  
*in nobis*. Ephes. 3. 18. *Inhabitet in nobis Spiritus S.*  
*per fidem in cordibus nostris*. Ex quibus manifestũ  
 est fidem non esse rem Imaginariam: quod isti  
 autumant, qui sua commenta & somnia perui-  
 caciter ac pertinaciter veræ fidei opponunt, ge-  
 nuinam de Sacramentis doctrinam oppugnantes. Si  
 scientiæ humanæ, quæ sunt habitus animi,  
 non sunt in Imaginatione sitæ, sed in nobilissima  
 animæ facultate suprema, quæ Nũc Mens dicitur:  
 quantò magis fides, quæ plus est quàm scientia  
 & cognitio, non in imaginatione aut in phanta-  
 sia facultate, sed in illa immortali facultate ani-  
 mæ sedem suam obtinebit? Si Mentis habitus hu-  
 mani

mani, & principia quæ sunt in mente, statuuntur esse adedò firma & certa vt sint immutabilia, & ad ἀμετακίνητον & ἀμετάπτωτον deducant, sicuti loquuntur & tradūt Philosophi: multò magis fides à Spiritu S. effecta, qualitas est stabilis & immota. Si per fidem tota est hominis Sapiētia 1. Cor. 1.5. & Ephes. 1.18. Spiritus sapientiæ dicitur, quæ plus est quàm Scientia: per istos Imaginarios liceat ipsi in facultate Animæ suprema sedem suam habere. Beneficium Renouationis siue Regenerationis per quam ad Imaginem Dei instauramur, & cuius primaria pars est fides, eritne aliquid in phantasia aut in Imaginatione aliquid vagum ac non potius in immortalis parte aliquid firmum? *οἰδωλογία* & opinio, sit in Imaginatione, quæ & vera & falsa esse potest. At illa ex diametro naturæ fidei, per quam iustificamur, prorsus repugnat. Per fidem S. Spiritus Mentem hominis illustrat, vt cognoscat, amplectatur, velit, certissimè credat ac recipiat ad salutem ea quæ in verbo Dei promittūtur in Christo, de ipsius Iustitia & beneficiis, Ephes. 4.23. *Renouamini spiritu mentis vestre, τῷ πνεύματι τῆ νοός.* Luc. 24.45. *Dominus aperuit mentem eorum τὸν νοῦν*: non dicit imaginationem, 1. Ioan. 3.24. Fides est certissima scientia. 1. Ioan. 4.13. *Ex hoc cognoscimus in eo nos manere, & ipsum in nobis quòd dedit nobis ex spiritu suo.* Rom. 8. *φρόνημα* carnis, & *φρόνημα* spiritus, id est fidei apprehensio, opponuntur. Rom. 12. *Reformamini in nouitate mentis vestre, τῇ ἀναγνωσίᾳ τοῦ νοός ἡμῶν.* 1. Corinth. 2.12. *Spiritum accepimus qui ex Deo est, vt sciamus ea quæ à Deo donata sunt nobis,* 1. Co-

rinth. 2. 16. *Nos habemus mentem Christi.* 1. Cor. 15. 18. Transformamur in imaginem Dei. Coloss. 3. 12. Induentes nouum hominem qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creauit illum. Ex quibus euidentissimè colligitur: necessariò & indissolubiliter efficitur, per fidem nos reuera cum ipso Christo coniungi: & per hanc coniunctionem nos ipsius beneficia participare.

De Monachis.

Ad coronidem vsque perducta erat hæc nostra disputatio, nisi illud occurrisset quod silentio prætermittendum non fuit: nempe hunc Gregorium, vnà cum aliis ipsius gregalibus, sæpiuscule conqueri, quòd fuerint à D. Sadeele *Monachi* nuncupati. Non enim has & similes sententias libenter audiunt quæ de Monachis extant apud veteres. *Hieronymus.* Suspiret Ecclesia Monachos esse diuites. *Augustinus.* Utinam isti Monachi qui vacare nolunt manibus, vacarent & lingua. Rectè facere nolunt, saltem desinant peruersè docere. *Idem.* Monachi debent abstinere vino. Monachi umbraculo malæ disciplinæ se contegunt. *Bernardus.* Nihil turpius quàm Monachus per vrbes & castella discurrens. Publicè prædicare Monacho non conuenit. Quid faciat superbia sub pannis humilitatis? Magna abusio quum tanto studio tunica & cuculla corpori procurantur. *Idem.* Superbè loquentes, ciues se faciunt Babylonis, imò filios tenebrarum & gehennæ. Carterùm Clariss. vir D. Sadeelæ cum istis vocabulo Iesuitæ ab ipsis blasphemè & cum insigni nominis Christiani contumelia, ac dam-

nan da

*Epist. ad Nepotianum.*

*De opere Mon.*

*De mor.*

*Manich. lib. 2.*

*Serm. 63.*

*In Apol.*



nanda præuariance usurpato, abuteretur, maluit eos appellare Monachos, qui nostris temporibus peruersâ doctrinâ, variis commentis ac putidis calumniis Idololatriam propugnant, professionemque Euangelij porissimum oppugnant. Istiusmodi homines à Nazianzeno *ἡσέμποροι* & *ἡσισοκάπηλοι*, hoc est Christum ipsi & que causam cauponantes & emercantes, ritè appellabantur.

*In S. Baptisima.*

Hoc etiam Gregorius. Si Geneuenses cum suo Sadele omnes Monachos etiam veteres, repudiandos censent: Repudiant igitur & detestantur Diuum Augustinum, repudiant Diuum Basilium, repudiant Diuum Hieronymum & alios viros sanctissimos quos Monachos fuisse compertum est. Hæc ille.

*Gregoriæ  
expositio  
tio.*

Gregorius praua *μεταβάσεις*, tempora, causas & personas confundit: Monachos Pontificios cum Augustino, Basilio, & reliquis eiusmodi intempestiuè conferens, quibuscum nec in vitæ probitate, nec in doctrinæ puritate, nec in ipsa instituti causa & ratione, quicquam habent commune. Cum illis conferantur istorum Monachorum dogmata, mores & studia, Antithesin quibus facile deprehendet. Hoc est horrendum, inquit Epiphanius, quod immutant nomen Christianorum ab Ecclesia, quæ solum habet nomen Christiani impositum. Et Nazianzenus. Petrum honore prosequor, nec tamen Petrianus vocor: & Paulum, nec tamen Paulianus nominor. Non fero me ab hominibus nomen ducere, qui à Deo sum creatus. Proinde si quia Deum existimas

*Contra  
har 70.  
Ad E-  
uag. &  
in Euang.  
dictum.*

ideo Christianus vocaris, voceris sanè & maneat in nomine, aut etiam in re. Ad illa (quæ ex 1. Corinth. 1. & 3. depromuntur) quid regerent isti qui se Franciscanos, Dominicanos, Augustinos, &c. appellitant? Quid verò de iis statuendum qui Iesuitas & societatis Iesu, ac proinde Iesu socios, hoc est ex parte seruatores & Mediatōres se nuncupant? Appellatio cerre non minus impia, quàm sit hæc Franciscanorum vox, Francisce, Iesu typice, dux, norma Minorum. Saltem Ignatiani ab auctore suo Ignatio paulò tolerabiliore appellatione nuncuparētur sicut illi reliqui nominātur. Nihilominus tamē isti Monachi nobis Christiano nomine contentis, Calvinistarum nomen sycophanticè tribuūt, id quantumuis reclamantibus, nobis inquam, non à Caluino, non à Luthero aut Zuinglio, sed ab vno Dei verbo Religionem orthodoxam asferentibus.

Hom. 25.  
ap. ad Heb.

Nota.

Ca. Siquis  
virorum  
dist. 30.

Constat autem Christianam Ecclesiam ducentis primis annis nullos habuisse Monachos. Hinc *Chrysostomus*, Tempore Apostoli ne vestigium quidem erat Monachorum. Quid magis charitati Christianæ repugnat quàm Monachalis ordo? Ipsa eorum vestis, habitus & superstitio damnatur Canonis disertis verbis, quæ sic habent: De multimoda superstitione hæreticorum quos Gangrense Concilium anathematizauit. Si quis virorum putauerit sancto proposito, id est continentia conuenire: vt pallio vtatur, tanquam ex eo iustitiam habiturus, & reprehendat vel iudicet alios qui cum reuerentia birris vtantur & alia veste communi quæ in vlt. cit. anathe-

ma

ma sit. Et verò, nulla maior fuit arrogãtia, quàm  
 quæ sub vili veste Laconica. Superbus imprimis  
 & impudens fuit sordidus Diogenis Monachi  
 Cynici habitus, & secessus. Vita solitaria, inquit  
 Philosophus, est beluina, societatiq̃ue civili &  
 humanæ naturæ repugnat. Virtutis enim tota  
 ratio in Actione posita est, non in delira Con-  
 templatione. Nec enim nobis solis nati sumus,  
 sed patriæ, parentibus, amicis, ciuibus. Constat  
 autem, veteres Monachos omnes fuisse Eremitas:  
 quorum alij persecutionibus adacti, in de-  
 ferta se receperant, pij ac verè laudabiles Mona-  
 chi: alij verò nimis otio priuato indulgentes, se-  
 cessum diligebant. At meritò Chrysostomus eos  
 reprehendit qui dicebant, opus esse Secellu ad  
 virtutem exercendam: illos increpat qui ex tali  
 vitæ genere reliquos despiciebant. Nazianzenus  
 laudat Heronem, quòd noluisset eiusmodi vi-  
 tam solitariam sequi somniculosam, societatem  
 humanam sædantem. Quid de istis dixissent qui  
 votum Monachale, secundum Baptismum esse  
 dicitant, Baptismo Christiano abrenuntiantes?  
 Epiphanius ait, Phariseorum & Sadducæorum,  
 (adde & Essæorù) hæresim esse, Virginitatem si-  
 bi præscribere, lapillos sibi substernere, & spi-  
 nas pro strato habere: ac ita viuere vt ab alijs se-  
 parati videantur. Isti, qui inopiã gloriantur, Ec-  
 clesias lædunt per vltroneam superstitionem.  
 Et hæc. 80. Isti sunt otiosi, velut vespæ, Saccus  
 conspicuus, est alienus à Catholica Ecclesia. Na-  
 zianz. describit Monachum, prominentè ventrè  
 què angusta porta non capit. Hieronym. cõque-  
 ritur Lupanaria thalamis præferri. Tolle de Ec.

*In Ethicis  
& in Po-  
liticis.*

*Hom. 43.  
in Matth.  
& de virt.  
rom. 5.  
In laudem  
Heronis.*

*In hæc. 15.*

*In hæc. 61.*

*In carm.*

*Epist. ad  
Oceanum.*



*Ser. 66.* clesia honorabile connubium, *inquit Bernardus,* repleas illam concubinariis, incestuosis, &c. Impurus certè cœlibatus, omnium Christiani orbis malorum causa. Sed quid Ignatiani, Capuchini respondebant ipsi Pontificio decreto Lateranensis Concilij anno 1215. & Lugdunensis anno 1273. nouos ordines religiosorum quos vocant, his verbis prohibenti: Firmiter prohibemus ne quis de cætero nouam Religionem inueniat: quæ prohibitio repetitur in ipsis Decretalibus. Mendicantium ordo nondum approbationis meruit principium. Repetita constitutione districtius inhibemus, ne quis de cætero nouum ordinem adinueniat, vel habitum nouæ religionis assumat. Isti igitur ab eo tempore editi fateantur, suas sectas veterum institutis non nitri: atq; quod caput est, legi Dei aduersari. Concludamus hanc de Monachis partem ex decretis can. 16. quæst. 1. Nemo potest Ecclesiasticis officiis deservire, & in monastica regula persistere. Si cupis esse quod diceris Monachus, id est solus, quid facis in uerbis? Et can. Placuit. Placuit communi nostro concilio, ut nullus Monachorum de monasterio exire præsumat, neque baptizate, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire. Sit claustro suo contentus: sedeat solitarius & taceat. Agnoscat nomen suum. Monos enim Græcè, Latinè est vnus: achos Græcè, Latinè est tritius: unde dicitur Monachus, id est vnus tritius. Sedeat ergo tritius.

Quid porrò Gregorius: vociferatur, qui mos est istorum, nos esse hæreticos, sectarios: ac proinde se Monachi nomen multò iucundius ferre, quam

quàm Calvinistæ nomen hæretici. Quid ais Gregori? Assertiones sine ratione, num habent vim probationum? annou sunt principij petitiones iniquæ? Nos enim affirmamus eos quos improbè Calvinistas appellatis, esse orthodoxos: vos verò Monachos esse hæreticos & sectarios. Est igitur inter nos controuersum, quàm sint hæretici meritò dicendi. Id vt dignoscatur, res cum te, causa cum causa, ratio cum ratione, sententiæ cum sententiis certent: ad diuini verbi normam omnia exigantur: tunc quàm sint hæretici apparebit. Nam hæretici, inquit Augustinus, non ob aliud sunt hæretici, nisi quòd suas opiniones falsas, contra Scripturarum veritatem, pertinaciter asserant. At istis compendiosior via videtur, optimam causam calumniis & nominibus odiosis inuisam reddere, apud eos qui per istorum fallacias nequeunt discernere, quantum distent æra lupinis. Nec animaduertunt isti, per eorum latera quos sycophanticè proscindunt, verbi Dei & patrum doctrinam dilacerari. Improbata verò est illa causa, debilis omnino & ruinosa, ad quam defendendam per mendacia & calumnias itur: ac verissimum est hoc Chrysostomi, Dum bonos improbi inuadunt, seipsos confodiunt. Sed si quis istorum calumniatorum ac peruersa docentium errores expurgare conaretur, Augiæ stabulum repurgandum susciperet. At tu, Gregori, prauas animi anticipatas opiniones tuas vince: tunc demum veritatem tenere poteris, qua vinceris. Patere vt veritas te vincat volentem. Malum enim est homini, vt eum veritas vincat inuitum: sicut alicubi piè dixit Augustinus.

*De Gen.  
ad lit. lib.  
7. cap. 9.*

*Summa  
vocius Tra-  
ctatus.*

Summam faciamus eorum quæ in hoc Tra-  
ctatu nostro. 1. Exposuimus quomodo sit Baptif-  
mus cum S. Cœna conferendus: & veterum Sa-  
cramenta cum nostris. 2. Probauimus Euangeli-  
stas & Apostolum in Institutione S. Cœnæ, hanc  
Domini Enuntiationem, Hoc est corpus meum,  
evidenter exponere: argumenta quoque à cor-  
poris Domini Glorificatione petita ad hunc lo-  
cum nō referri: quia in S. Cœna Christus nos re-  
uocat ad sui Corporis communicationem, qua-  
tenus pro nobis Mortem & passionem in cruce  
pertulit (*quod pro vobis traditum est*, inquit) ac ita  
participandum sicut discipulis, illud ipse propo-  
nebat in prima S. Cœnæ institutione. 3. Pro-  
posuimus diagramma, ad explicandum duas res  
in S. Cœna exhiberi: quarum vna est spirituali  
instrumento recipienda, nempe totus Christus  
& eius beneficia; altera est res visibilis sumenda.  
Nam homo duabus diuersis substantiis constat,  
Anima & Corpore: ita totus homo integrè par-  
ticipans ea quæ in Sacramento offeruntur, ad sa-  
lutem viuificatur. Ex quo duplex est in S. Cœna  
manducatio: vna, quæ spiritualis est, rei nimirū  
quæ salutem affert, in qua finis & vsus Sacramen-  
ti versatur, cuius causā omnino dicendum est,  
Christi corpus in S. Cœna verè exhiberi & ritè  
percipi ab iis qui conuenienti & idoneo ad re-  
cipiendum instrumento donati sunt à Spiritu S.  
Altera Manducatio rerum visibilium Sacramen-  
talis, ad confirmandam, designandam & obli-  
gnandam rei salutaris præbitionem & rece-  
ptionem: qua receptione quamuis se priuent in-  
fideles, est tamen in sese Sacramentalis mandu-  
catio



catio Spiritualem manducationem obſignans:  
 ac proinde toto genere diſtans ac prorsus diſcri-  
 minata à vulgari eſu & potu panis & vini, ad cor-  
 poris alimentum. Nam ſacra ſigilla S. Cœnæ, pa-  
 nis & viuum, ſumuntur, non quatenus ſunt ſub-  
 ſtantix corpus alentes, ſed quatenus ſunt ſpiri-  
 tualis alimonix obſignacula, & rei ſalutiferæ cer-  
 tiſſima pignora. 4. De Cauſa formali coniun-  
 ctionis noſtræ cū Chriſto diſſeruimus: cui anne-  
 xa eſt recipiendi cauſa instrumentalis interna ac  
 ſpiritualis, nempe fides. Demonſtrauimus etiam  
 in hac parte coniunctam, ſed diuerſam quæſtio-  
 nem de Signi & rei Signatæ Sacramentali vni-  
 one: & quomodo ſit externa cauſa instrumentalis,  
 ſicut & Euangelij prædicatio & auditio. Sed hoc  
 tertium caput prolixius Scholaſticè tractau-  
 mus, Aduerſariorum obiectionibus coacti. Hinc  
 veniam dabunt nobis lectores, quòd nonnulla  
 obſcurius videantur hîc ſcripta, præſertim iis qui  
 non ſunt ſcholaſticis & philoſophicis diſcipli-  
 nis imbuti. Huius Articuli doctrina ex verbo  
 Dei nudè & ſimpliciter deſumpta, quibusuis eſt  
 quidem aperta facilis & pernia: atque ita ab or-  
 thodoxis perſpicuè expoſita, vt de ipſius obſcu-  
 ritate nemo conqueri poſſit: verumtamen faciunt  
 variæ variorum importunæ voces, vt à familiari  
 tractatione recedatur. Obiectiones enim ſunt  
 refellendæ prout proponuntur, vt omnia remo-  
 ueantur impedimenta quæ moram iniicerent ad  
 certiffimas veræ doctrinæ concluſiones ample-  
 ctendas. 5. Reliquas Gregorij obiectionunculas  
 diluimus, inuerſo quidem ordine: ſed vt quaſi  
 preſſo veſtigio ipſius argumeta perſequeremur.

Primum, quia ex minutarū eiusmodi obiectionum refutatione, capitum illorum explicatio tradebatur. Deinde ut ostenderemus hunc Gregorium, nec theologicè, nec philosophicè redarguisse librum à Clariss. felicissimæ memoriæ D. Sadeele euulgatum. Postremò quum Gregorius in illo suo Redargutionis libro, totam prope modum de hac quæstione Pontificiorum sententiam paucis ac breuiter proposuerit: quò sapius istorum fallaciæ Didacticis & Elencticis tractatibus refelluntur, eò meliùs falsa detegitur doctrina: ac vera, multis incognita, magis ac magis elucescit. Faxit Deus Opt. Max. ut nos omnes, depositis omnibus humanis præiudiciis, ex ipsius voluntate quam nobis in suo verbo patefecit, eum colamus: atque ut promissiones eius amplectentes, in Domino Iesu ad eius laudem ad Ecclesiarum tranquillitatem & concordiam, adeoque ad salutem nostram vnum idemque sentiamus. Ei sit laus & gloria, Amen.

## F I N I S.


Hæc vocabula sic erunt mutanda.

*Pagina 12. linea 3. in pro an. pag. 17. lin. 25. peruerfissima. p. 18. l. 23. adde, in. ibi. lin. 28. explicavi. ibi. lin. 30. lege confugit. p. 23. l. 5. Calvinista, & lin. 8. perceptione. p. 32. l. 29. ex. pag. 37. l. 8. verbis. 39. 29. naturam humanam. 71. 8. iustificati. 68. l. 12. pro 2. 1. p. 82. 7. quæstione 89. 19. vera. 93. 8. secundum. 97. 27. gratia: 107. 30. potentiam.*

ta  
m  
c.  
t.  
t.  
t.  
t.



OCN 1268266653



A 19354

legatus 7. ab pns 2. dicitur 53



In hoc die

as deprecamur supplicia

**De scā**  
**cruce feri**

one dicentes aliter. et

**Dicitur a dō iudica**

**usq; pasce. x. qn**  
**er omnia tā<sup>z</sup> uolue de. s. cruce**

seculoz **D**ñs vobiscū

lū corda **G**racias aga

dño deo nro **V**ere dig

1066  
6

